

Antoni Cobos Fajardo (ed.), Joan Ramon Ferrer, *De pronomibus suiue natura* (1477), Bellaterra, Publicacions de la Universitat Autònoma de Barcelona (Microfitxa), 2000.

### **XCII. De tribus constructionis impedimentis.**

[1] 148. Tria constructionis impedimenta sunt quae ex relatione, interrogatione, negatione proueniunt, ut in hoc uersu patet:

«Constructum turbo referendo, rogando negando».

De relationis et interrogationis impedimento sat per antedicta palam est. De negationis impedimento iam quid minime exponetur.

[2] 149. Quando negatiuum obliquum uerbo coniungit constructio, ille per *non* uel *simul* tota constructio debet exponi, ut *neminem irriseris* uel *nullum laeseris*. Hic enim negatiuum obliquos per *non*. Et supple per alterum compositiones exponendus est, ita quod negatio uerbo praeponatur, sed alterum componens subsequitur, ut *neminem irriseris*, id est non irriseris hominem, et *nullum laeseris*, id est non laeseris ullum. Vel secundo modotota exponi debet constructio. (2) Quae quidem expositio fieri potest dupliciter: aut enim actiua constructio in passiuam uel econuerso exponetur. Primo modo exemplum est *neminem irriseris*, id est nemo irrisus erit a te, et per mutationem accusatiui in nominatiuum fieri potest expositio, ut *nullum hominem uideo*, id est nullus homo uidetur a me. (3) Secundo modo passiuam in actiuam mutari potest constructio, et tunc ablatiuus in nominatiuum et nominatiuus in accusatiuum est mutandus, ut *ego a nullo irrideor*, id est nullus me irridet.

[3] 150. Regula est quod siue praeponatur siue subiiciatur uerbo obliquus negatiuus constructionis impedimentum generatur, nam si praeponatur regulae *Doctrinalis* in IX<sup>o</sup> (9, 1.390):

«Construe sic casum»

et cetera, secundum quam obliquus uerbo postponendus est, impedimentum fit. (2) Sin autem postponatur, ut *irriseris neminem*, regulae Prisciani in minori (17, 105) fit praeiudicium, iuxta quam dictio negatiua uerbo praeponenda sit, ut *nullum laeseris*. Non autem dici debet *laeseris nullum*, est igitur constructionis impedimentum in obliquo negatiuo manifestum. Enimuero secundum expositiones antedictas euitari potest.

[4] 151. Obliquum negatiuum per *non* oportet exponi, siquidem negatiua dictio supposito actum dispositiue attribuit. Ideoque necesse est semper uerbo praetermittatur negatio.

[5] 152. Quando negatiuus obliquus non uerbi actum, sed possessionem nomenue negauerit, ut *habui librum neminis*, per *non* expositionem fieri non oportet. Actus enim uerbi obliquum negatiuum non attingit, nec illa negatio actum, sed solam possessionem negat. Regula uero praelibata de obliquo cum uerbo coniuncto intelligitur.

[6] 153. Rectus negatiuus saltem in supponendo constructionis impedimentum facere non potest. Recte nanque dicitur *nemo irridetur*, *nullus uulneratur*. Quod si apponatur dicendo *sum nullus homo*, magna surget dubitatio, quam tamen impresentiarum non decido.

[7] 154. Natura negationis est ut semper a nominatiuo supponente uerbum disiungere teneatur, qui quidem nominatiuus ipsi uerbo a parte ante praemittitur, et ideo cum ipsa uerbi copula negatio simul cum nominatiuo tali a parte ante ponitur.

[8] 155. Negatio modum priuationis habet. Vnde quemlibet habitum priuare potest. In eo autem quod priuat agit in aliquo, sed in omne quod agit, prius est eo in quo agit. Itaque sicut accidentia et adiectiua quae substantiam substantiuumue habent disponere, ipsam substantiam substantiuumue praecedunt, sic et negatio in eo quod priuat et agit, debet praecedere. (2) Harum VIII postremarum regularum fundamenta in IX<sup>o</sup> *Doctrinalis* capitulo commentantibusque ibidem potes legere, ubi sic Alexander ait (9, 1.498-500):

«Quando negatiuum uerbo constructio iungit

Obliquum per *non* exponere conuenit illi

Aut simul exponi debet constructio tota».

### **XCIII. De tribus constructionis modis.**

[1] 156. Tres sunt constructionum modi. Sunt enim constructiones symbasmaticae, parasymbasmaticae et asymbasmaticae. Symbasmaticae dicuntur quae per nominatiuum sine obliquis absoluuntur, ut ego *Ioannes lego*, *Petrus inambulat*, et a *symbasma* ueniunt. *Symbasma*, id est dignitas uel congruitas a Prisciano in 2<sup>o</sup> minoris exponitur (18, 4). Nominatiuus enim digniori nobiliorique modo constructionis intellectum sub constructibilium identitate gignit. (2) Vel ideo talis constructio *symbasma*, id est dignitas uel congruitas, appellatur, quod magis digna congruaque sit quam aliae. Dicitur autem a *syn* quod est *simul*, et *basis fundamentum*, quasi *cum fundamenta* Nominatiuus enim est orationis fundamentum. (3) Parasymbasmaticae sunt quae per nominatiuum simul et obliquum fiunt, ut *Ioannes Raimundus Ferrarii studium scientiarum amat*. Et dicitur a *para*, quod est *iuxta*, et *symbasma*, quod est *dignitas* uel *congruitas*, quasi *iuxta congruitatem*, nam respectu uerbi obliquique sequentis non est congruitas nec constructibilium identitas nec intellectuum accidentiumue conformitas. (4) Asymbasmaticae sunt in qua prorsus deficit nominatiuus, ut *mihi contemplari placet*. *Asymbasma* uero ab *a*, quod est *sine*, et *symbasma*, quod est *congruitas*, quasi *sine congruitate*. Et sic incongrua talis est constructio, licet enim constructio uerbi impersonalis cum obliquo re intransitiua sit, non tamen ex ui modi, et ita non est constructibilium identitas nec accidentium conformitas, ut in intransitiua constructione requiritur.

[2] 157. Pro regulae proximae praecedentis intellectu duplex incongruitas est notanda: prior est quae congruitati ad grammaticum spectanti opponitur, ut quando est accidentium difformitas. Et de tali hic non intelligo. Altera est informitas intellectuum quae intransitioni obiectatur. Et de hac sermonem intendo. (2) Haec autem a grammatico uere incongrua dici non debet, nisi respectu quodam, puta constructionis intransitiuae, ubi dignitas et congruitas maior est. Ideo et omnes constructiones asymbasmaticas, id est sine recto, per uerba impersonalia obliquosque contextas merito congruas appellamus.

[3] 158. Congruitas duplex est, una quae in accidentium, id est generis, numeri, casus, personae conformitate attendetur. Et haec exigit, ut substantiuum et adiectiuum, suppositum et appositum, relatiuum et antecedens in debitis accidentibus suis conueniant. Et haec est principalior et communior et ad grammaticum omnino spectans. Et talis congruitas non in constructionibus transitiuis, sed intransitiuis ponderatur. (2) Altera congruitas in sola recti cum uerbo sine aliquo obliquo constructione consistit, et haec constructionem symbasmaticam respectu parasymbasmaticae asymbasmaticae congruam et digniorem et nobiliorem reddit, adeo quod aliae duae, huius respectu, minus dignae incongruaeque dicantur. (3) Ad harum trium regularum probationem Priscianus 2<sup>o</sup> minoris, circa principium, § *Et sciendum*, facit, inquiring hoc modo: «Et sciendum quod has constructiones quae per nominatiuum absoluuntur, Stoici Graeci symbasmata<sup>1</sup> uocant, id est dignitates uel congruitates, ut ego *Priscianus scribo*, *Apollonius ambulat*, *Plato philosophatur*. (4) Illas uero in quibus transitiones fiunt ab alio in aliam personam, in quibus necesse est cum nominatiuo etiam obliquum aliquem casum proferri, Graeci parasymbasmata<sup>2</sup> dicebant, id est minus quam congruitates, ut *Cicero seruat patriam*. (5) Quando uero ex duobus obliquis constructio fit, asymbasmata dicebant, id est incongruitatem, ut *placet mihi uenire ad te* siue nominibus siue uerbis hoc exigentibus.

[4] 159. In his constructionibus asymbasmaticis obliqui similes uel dissimiles mediante uerbo infinitiui modi substantiuo copulari possunt, ut *huic placet esse probo et nobis placet esse peritos*. Quo ad primum exemplum causa est quia copula, id est uis unitiua uerborum substantiuorum et uocatiuorum eorumque uim habentium, similes casus debet coniungere coniungique reposit, dum tamen ad idem pertineant. (2) Et ipse infinitiuum *esse* secundum Petrum Heliae super primo minoris, eam uim habet, ut sibi similem casum semper copulet, ut *iste uult esse bonus*, quandoquidem *iste* nominatiuum est et *bonus* quoque. Vnde si accusatiuum praemiseris, oportet etiam accusatiuum sequi, ut *iste uult se esse bonum et mediocribus esse poetis*. (3) Vnde incongrua illa est locutio *misereor hominis uolentis esse Barcinonae consiliarius propter labores et angustias consequendi periculaque regendi*. Non enim nominatiuus sed genitiuus antecedit. Haec autem *misereor hominis uolentis esse Barcinonae consiliarium* propter accusatiuum subintellectum, ut se subintelligas, excusari potest. Generaliter enim aliquocunque praecedens casus regitur ab eodem et propter idem substantiuum uerbum casus sequens gubernabitur. (4) Quo uero ad secundum exemplum

---

<sup>1</sup> Glossa: a *syn* quod est *con*, et *basma congruitas*, quasi *dignitates* uel *congruitates*. De glosa antiqua.

<sup>2</sup> Glossa: A *para*, quod est *iuxta*, et *basma congruitas*, quasi *iuxta congruitatem*. De glosa antiqua.

*nobis placet esse peritos*, dico sine supplemento dici non posse. Verum si accusatiuus suppleatur subintelligaturque *nos* in *esse*, quod eo quo infinitiui modi est, accusatiuum a parte ante ex ui infinitiui modi potest regere, congrue dici potest. (5) Omne enim infinitiuum Petro Heliae, primo minoris, carta 6<sup>a</sup>, testante, et *Doctrinali* in VIII, accusatiuum intransitiue ex ui infinitiui exigit, nisi impersonale sit, a parte post quoque ipse infinitiuus *esse* accusatiuum poscit, quippecum uerbum substantiuum sit, quod uim copulatiuam requirit, et enim generaliter uerbum substantiuum et a parte ante et a parte post nominatiuum exigit: a parte ante ex natura personae; a parte post ex suae significationis natura. (6) Igitur haec locutio *nobis placet esse peritos*, quo ad expressa uerba est incongrua, sed quo ad subintellecta congruitatem habet. Itaque sic supplendo *nos*, ut *nobis placet nos esse peritos*, congrua habenda est locutio. (7) Et haec per Priscianum Petrumque Heliae et utrunque expositorem primo minoris, et *Doctrinale* in principio 8, cum eius glosatoribus confirmari possunt. Et uide quod scripsi supra, in hoc libro, ex Petro Heliae super natura copulae uerborum substantiuorum, in uersiculo *Idem Petrus Heliae in eodem primo minoris, carta 6<sup>a</sup>*, et in *Doctrinali* meo, capitulo 8<sup>o</sup>, uersiculo *Horum consimiles*, ubi multa pulchra leges (supra 5, 19, 3).

[5] 160 regula est quod haec locutio *nobis placet esse peritos*, licet quo ad accusatiuum subintellectum sit congrua, tamen est impropria, et hic eclipsis assignari potest. Identidem de similibus est dicendum.

[6] 161. In hac oratione *nobis placet esse peritos* et huiusmodi est improprietas, quia deficit accusatiuus. Possibilitas est, nam accusatiuus per naturam infinitiui modi potest subintelligi, quod et sequens accusatiuus exposcit, ut incongruitas fugiatur. (2) Necessitas fuit breuiloquium et accinctus loquendi modus aut arrogantiae euitatio. Est enim arrogantia si dicatur *nos sumus periti* uel *nobis placet nos esse peritos*, quod remouet omittendo *nos* tantumque dicendo *nobis placet esse peritos*. (3) Harum trium regularum postremarum fundamenta non modo a Prisciano, Petro Heliae aliisque commentatoribus in primo minoris, sed et a *Doctrinali* eiusque glosatoribus, in IX<sup>o</sup>, quaere, ubi sic *Doctrinale* dicit (9, 1.501-504):

«Fiet asymbasma sine recto clausula plena

*Me taedet uicii, licet isti iura et ueri.*

Quaestio si fiat in his constructio duplex

*Huic placet esse probo, nobis placet esse peritos».*

[7] Ad haec autem faciunt quae Nicolaus Perottus, capitulo de impersonalibus et secundi ordinis, uersiculo *Haec omnia uerba*, carta 68, dicit (fol. i3u.): «Haec omnia uerba, ut *accidit, contingit, euenit* et similia, si nominatiuum et datiuum habent, personalia sunt, et declinantur per numeros et personas. Si infinitiuum et datiuum, impersonalia. (2) Notandum autem quod dicimus recte *placet mihi me esse largum* et *licet mihi esse largus*. Qui modus loquendi reperitur et cum aliis uerbis, ut *puto te esse bonum amicum*. Lucanus in X<sup>o</sup> (9, 1.037):

"Tutumque putauit

Iam bonus esse socer",

et Ouidius (*Pont.* 1, 7, 6):

"Qui precor esse tuus",

et Terentius (*Ad.* 125):

"Hei mihi

Pater esse disce ab his, qui uera sciunt".

Idem (*Andr.* 797):

"Qui sese inhoneste optauit, parare hic diuicias  
quam in patria pauper uiuere".

(3) Hic modus loquendi e Graecis fluxit, apud quos frequentissimus est, ut in sacris litteris (*Michael* 6, 3): "Popule meus, quid feci? aut quid molestus fui, responde"; et (*Psalms.* 49, 7) "Attendite, popule meus, legem meam". Et Virgilius (*Aen.* 1, 664):

"Nate, meae uires mea magna potentia solus".

(4) Nam haec nisi a Graeco traherentur, dicerentur *popule mi* uel per nominatiuum cum pronomine, sic: *tu, populus meus, responde mihi*, et subintelligitur *ens*, ut *defende me, tu dominum*, hoc est, tu ens dominus; *adiuuu me, tu optimus uir*, id est ens optimus uir». Haec Perottus, et ita locutiones hae, in quibus casus pro casu ponitur, per antiptosim excusantur.

#### **XCIV. De coniunctionis constructione.**

[1] 162. Cum *quam* et *praeterquam* a *quis* uel *qui* uenientia quandoque pro coniunctionibus assumantur, de coniunctionibus ipsis regula dari potest, ut *Doctrinalis* materiam ad rem nostram spectantem prosequemur. Igitur coniunctio siue copulatiua siue disiunctiua sit, casus consimiles tam rectos quam obliquos copulare debet, ut *Ioannes et Petrus legunt, peramo deum uirginemque Mariam, Petrus uel Ioannes currit, alloquar Petrum uel Ioannem.* (2) Et sic haec regula proprie de coniunctione copulatiua disiunctiuaque debet intelligi. Causa uero qua similes copulat casus coniunctio est haec: quod coniunctio casus hos ad dictionem regentem sub eadem habitudine copulare habet. Vnde ad hoc quod eadem habitudo remaneat, similes esse casus oportet, quippe cum habitudinem causalem casuum uariet uariatio, ut Priscianus in minori dicit (17, 11). (3) Et ad hoc Petrus Heliae facit inquiring (Reilly 848): «Casus est in comparatione ad aliud substantiae dispositio. Coniunctio uero similes casus respectu tertii habet coniungere. Cum igitur id tertium copulata ipsa eodem respectu respiciat, ea ipsa copulat sub habitudine causali coniunctio».

[2] 163. Coniunctio similia genera numerosque, ut casus, non coniungit, genus enim numerusque in nomine, pronomine participioque dicuntur absolute. Coniunctio uero in respectu ad aliud similia copulat. Illos igitur copulare non potest. Coniunctio tamen eadem genera, modo ad idem pertineant, potest debetque coniungere, id quod et de numeris dici potest, ut *Ioannes grammaticus et logicus et rhetoricus et philosophus doctorque semper studet.* Non enim congrue diceretur *logica* uel *logici* in genere feminino uel numero plurali. Idem de ceteris adiectiuis est dicendum. (2) Coniunctio nanque quaecumque ligat, simul stare notat; simul autem stantia, simul construi debent. Ea uero quae simul construuntur, eadem in causalitate debent disponi. Et ita coniunctio similes casus copulare tenetur, qui si ad idem pertineant, propter identitatem congruitatemque seruandas in eodem genere numeroque esse debent.

[3] 164. Diuersos casus copulare potest coniunctio, si alter nominis uel pronominis possessiui sit, ut *ensis Petrinus et Ioannis, filia legitima mea et Francinae, seruus meus et Bernardi.* Verum quo ad ueritatem genitiui primitiui subintellecti tunc etiam eosdem casus coniungit. Debet enim intelligi *ensis Petrinus* id est Petri, et *filia mea*, id est mei. (2) Item coniunctio diuersos casus copulat, si dictio regens diuersos casus per eandem naturam regat, ut *Ioannis primo plenum gratia et ueritatis et plerique homines sunt uacui uirtutis et scientiam.* Quidam tamen putant hos casus diuersos non per eandem naturam regi. Ego quidem contra. Etenim hic genitiuus pro ablatiuo surrogatur more Graecorum Latinorumque priscorum. Graeci nanque genitiuum pro ablatiuo collocare solent, antiquique Latini conuenisse leguntur. (3) Nam Petrus Heliae, 2<sup>o</sup> minoris, carta V, ubi de ablatiui constructione tractat, sic notanter ait (Reilly 1.028): «Item nominatiuus habens passiuam significationem exigit ablatiuum, ut *plenus gratia, dignus laude.* Haec tamen eadem auctoritate ueterum genitiuis sociantur, ut *plenum gratia et ueritatis.*» (4) Insuper diuersorum casuum a coniunctione fit copulatio, quando diuersi casus ipsi, uelut aduerbialiter positi, idem habent officium, ut *multi Papae moram Romae Auinioneque traxerunt, et gloriosa facta Romae et Athenis leguntur fuisse celebrata, et fui Thebis et Corinthi, studui Tolosae et Veronae.*

[4] 165. Hae dictiones *quam* et *praeterquam* similesque comparandi aduerbia et *nisi* communem regulam coniunctionem seruant. Similes enim casus copulant, ut coniunctiones copulatiuae disiunctiuaeque, ut *ego loquor uerius quam tu, ego magis misereor tui quam Bernardi, deus omnibus parcat praeterquam induratis, plerosque pauperes meliores quam diuites perspicio, te spero fortiorem fore quam illum, deus omnes peccatores ad eum recurrentes admittit nisi perstantes in crimine.* (2) Sciendum autem respectu eiusdem uerbi dici posse *coniecto ex amplioribus pleribusque monasteriis et redditibus honoribusque mundanis factum benedictum praestantiorum quam sanctum Bernardum in caelis esse.* Et respectu alterius uerbi, scilicet *sit*, diceretur *praestantiorum quam sanctum Bernardum in caelis esse, et in uerbo Bernardus sit* suppleri debet. (3) Ceterum Petrus Heliae dicit congrue non proferri *misereor hominis fortioris quam Platonis, nam quam Plato subintelligendo sit* proferendum putat. Priscianus tamen (17, 94) et *Doctrinale*, quos aequor, propter similitudinem casuum coniunctionem dici posse arbitrantur. (4) Harum quatuor regularum confirmatio a *Doctrinali* eiusque glosatoribus expetatur, quod dicit in IX<sup>o</sup> (9, 1.505-506):

«Iungere consimiles debet coniunctio casus  
*Quam, nisi, praeterquam* similem retinent sibi formam».

[5] 166. Quamuis substantiuum et adiectiuum eiusdem generis, numeri casusque debeant esse, et coniunctio similes casus teneatur coniungere, tamen coniunctio ea tam copulatiua quam disiunctiua

adiectiuum cum substantiuo, etsi casuum sint similium, copulare non debet, ut *Ioannes et albus studet*. Quandoquidem coniunctio diuersa significata coniungit, sed adiectiuum cum substantiuo idem faciunt.

[6] 167. Nomina diuersa, si referantur ad unum, sine coniunctione proferantur, quae necesse, nisi geminentur adiectiua, ut *misericos deus, uirgo Maria, Simon Bariona Petrus, Marcus Tullius Cicera*. Nam si interponeretur coniunctio, quasi de alio et alio dici uideretur. Quod si adiectiuorum fiat geminatio, illa debet interponi, ut *deus clemens et misericos*. (2) Verba quoque participiaque sese consequentia, id est quod unum post aliud consequatur, coniunctionem petunt, ut *Ioannes legit et scribit, doctor considerans librosque uoluntas recte patrocinatur et consulit*. Hic enim diuersa accidentia in una substantia demonstrantur, ut supra una eademque substantia esse declaratur, nam dicendo *Simon Petrus Bariona* substantiam unam eandemque significo. Iccirco nulla debet interponi coniunctio, cuius natura est copulare diuersa.

[7] 168. Si participium pro aliquo uerbo proferatur, et ei uerbum adiungatur, sine coniunctione emanabit oratio, ut *legens proficia, pro lego et proficio, et praedicante Iesu, conuertebantur multi*, id est *Iesus praedicabat et multi conuertebantur ad eum*.

[8] 169. Punctus coniunctioni equipollet, hoc est idem ualet punctus quod coniunctio. Nam si de uno dicantur adiectiua, coniunctio uel punctus debet interponi, ut *deus clemens, misericos* idem est quod *deus clemens et misericos*; tanti nanque momenti est punctorum interpositio, quanti coniunctio.

[9] 170 regula. Non modo nomina propria de eodem dicta, ut *Simon Petrus* coniunctionem non admittunt, sed nec appellatiua secabilem substantiam significantia, cum de uno eodemque dicuntur, ne coniunctio diuersa res coniungere uideretur, ut *substantia corpus animal homo Ioannes*, et *homo est animal rationale mortale disciplinae capax*. Hic enim substantiam unam significo, quamuis multorum sit communis in multosque secabilis. (2) Has quinque postremas regulas, Priscianus in XI, et ibi Petrus Heliae et expositor antiquus et modernus, et *Doctrinale* circa finem noni corroborant. Priscianus enim in eo XI<sup>o</sup>, carta 2, tractans de his quae coniunctionis egent, et quae non, sic ait (11, 9): «Nec solum per obliquos casus est utile participium, sed etiam per nominatiuum. Diuersa enim uerba absque coniunctione coniungi non possunt, ut *lego disca*, uel *doceo discis* non est dicendum, sed *lego et disco*, uel *doceo et discis*. Nam hoc proprium est tam transitiuorum quam intransitiuorum. (3) Participium autem si proferas pro aliquo uerbo et adiungas ei uerbum, bene sine coniunctione proferas, ut *legens disco* pro *lego et disco*, et *docente me discis* pro *doceo et discis*. Contra autem nomina diuersa, si ad unum referantur, sine coniunctione oportet ea proferre, nisi adiectiua geminentur, ut *pius Aeneas, Marcus Tullius Cicera*. Si enim dicas *pius et Aeneas* uel *Marcus et Tullius et Cicera*, quasi de alio et alio dici. (4) Accidentia uero siue adiectiua si geminentur, necesse est interponi coniunctionem, ut *bonus et pius et iustus et fortis Aeneas*. Verba quoque et participia si sequantur sese, egent coniunctione, ut *legit et scribit doctor, loquens et currens fecit*. (5) Nec mirum propria quae insecabilem substantiam demonstrant, ut *Socrates, Scipio*, nec appellatiua, quae secabilem, id est generalem uel spacalem, quae diuidi potest, substantiam indicant, ut *animal, corpus, homo, taurus, equus, aurum, lapis*, non egent coniunctione. Diuersae enim substantiae in uno coniungi non possunt. (6) Itaque cum dicam *Publius Cornelius Scipio Africanus*, non egeo coniunctionibus; unam enim hic omnibus uideo esse substantiam. Similiter est *homo animal rationale mortale disciplinae capax*, cum unam substantiam significo, quamuis multorum communem, non egeo coniunctionibus, quae diuersas solent res coniungere. Diuersae autem substantiae in eodem coniungi non possunt. (7) Accidentia autem quae substantiae iam ante suppositae accidunt, possunt esse diuersa in eadem substantia, ut si dicam *Marcus Tullius Cicera*, quia una est substantia, non eget coniunctionibus. Sin autem dicam *sapiens et eloquens et felix Cicera*, diuersa ostendo accidentia in una substantia. Itaque egent coniunctione».

[10] Petrus Heliae super ipso XI<sup>o</sup>, post principium, scilicet in 2<sup>a</sup> carta, omnia praedicta declarando probat, et adiciens de puncto ait (Reilly 603): «Quod punctus ualet idem quod coniunctio», et eum notandum praecor ibi: «Si enim adiectiua de uno dicere uelimus, oportet interponere coniunctionem uel punctum, ut *Socrates est albus, crispus*, uel sic *Socrates est albus et crispus*, quia punctorum interpositio ualet quantum coniunctio. (2) Et de propriis quidem, quia substantiam indiuiduam significant, patet quod non debent coniunctionem, si de uno dicantur, interpositam habere, ne diuersae uideantur substantiae coniungi si dicatur *Tullius et Cicera*. (3) Appellatiua uero nomina secabilem substantiam significantia, cum de uno et eodem dicuntur, similiter non debent coniunctionem interpositam habere, ne diuersas res uideantur coniungere».

[11] *Doctrinale* circa finem noni dicit (9, 1.531-32):

«Iungere non poterit coniunctio nobile fixo,

Iungit diuersa coniunctio significata».

[12] 171. Cum hic de coniunctione mentio facta sit, quid sit dicere conuenit. Coniunctio igitur in XVI principio, Prisciano teste (16, 1), est pars orationis indeclinabilis aliarum partium orationis coniunctiua, id est quae reperta est ut partes alias orationis coniungat siue copulet earum sensus, ut copulatiua, siue disiungat, ut disiunctiua; ibidem Petro Heliae declarante.

[13] 172. Cum coniunctio nobile fixo copulare non possit recte, id est congrue sine coniunctione dicitur *homo grammaticus, Augustinus magnus logicus, Aristoteles philosophus, Thomas de Aquino theologus, Salomon sapiens, Paulus apostolus, Dauid propheta, Achilles fortis, Hector fortis et prudens*, quod raro uidetur, et ita de similibus constructionibus est dicendum.

[14] 173. Si dictiones uniantur, quarum alterius significatio in significato alterius compraendatur, sine coniunctione facienda est congregatio, ut *homo rhetoricus, rhetoricus* enim hominis in se significatum includit, nihil enim nisi homo sit rhetoricus.

[15] 174. Dictio partem significans sine medio suo toti ipsum totum specificans et restringens iungi potest, ut *animal homo currit*. Hic enim *homo* pars est huius quod *animal* dico, cui specificando restringendoque potest immediate coniungi. (2) Et ita de *animal, equus, leo* uel *capra* et *homo Ioannes* uel *Petrus* uel *Bernardus* et *ciuitas Barcinona* et *fluuius Lupricatus* dici potest, et sic figura fit appositio, de qua, supra, in hoc libro, plene dictum est. Nec opponi debet ut cum homo ex animali pro genere seu materia, et ex rationali pro forma componatur, et haec duo in se includat, et omne componens pars sui sit compositi, magis animal pars hominis esse dicatur. (3) Hoc enim respectu puta compositionis antedictae *animal pars hominis* dici potest, respectu uero generalitatis et communitatis quae in animali respectu sunt hominis. Est econtra, homo nanque species animalis est, et species in quantum species pars sui est generis. Ab hoc enim continetur. Genus enim est cui supponitur species; species uero est quae sub genere ponitur. (4) Continetur igitur sub specie indiuiduum, sub genere uero species; totum enim quoddam genus est. Indiuiduum autem, ut pars; species uero ut totum et pars, hoc est ut substantia et pars subiectiua, sed pars alterius, id est generis. Totum uero non alterius, sed aliis, id est indiuiduis totum est, species partibus enim totum est. (5) Vt Porfirius capitulo 2<sup>o</sup> et 3<sup>o</sup>, et Petrus Hispanus in suis *Praedicabilibus* eiusdem capitulis attestantur. (6) Nam et Boetius in suis ait *Dictionibus* (*Categ.* 1, 20): «Species est quoddam totum indiuiduorum integrale et ad totius integralis constitutionem partes plures continet».

[16] 175. Si dictiones ut pars et totum se habentes, non ut idem, sed ut diuersa significauerint, per coniunctiones uel copulatiuas uel disiunctiuas copulari possunt, ut *homo et animal currunt*, et *homo uel Ioannes studet*. Hic enim *animal* aliud ab homine et *homo* aliud a Ioanne significant, ut *animal* pro leone, equo uel asino uel aliis animalibus ab homine et *homo* pro Petro, Bernardo uel Francisco Bernardinoue alioque diuerso a Ioanne supponant. (2) Vnde dicit Ouidius (*Met.* 10, 255):

«Hoc est corpus uel ebur»,

ut *corpus* pro homine uel quocunque alio ab ebre dicatur supponere. In talibus enim ueritatem habere potest.

[17] 176. Ad cognoscendum an ea quae dicuntur idem, per coniunctionem ualeant copulari, potest assignari quod idem tribus modis teneatur. Est enim idem genere, quaecunque sub aliquo genere continentur, ut homo leoque sub animali. Homo nanque leoque in se, hoc est in essentia sua, animalis includunt essentiam. Est enim animal de essentia hominis et leonis. (2) Haec quidem, cum in significato speciali sint diuersa, per coniunctionem coire possunt, ut *homo et leo currunt*, aut *homo uel leo currit*. Eadem specie sunt, quaecunque sub eadem sunt specie, ut *Ioannes* et *Petrus* sub *homine*. Nam sub eadem hominis specie continentur. Et haec quoque per coniunctionem possunt uniri, ut *Ioannes et Petrus legunt*, aut *Petrus uel Ioannes inambulatur*. (3) Idem autem numero tripliciter dicitur: primo modo idem nomine uel diffinitione; altero modo idem proprio; tertio modo idem accidente. Eodem nomine dicuntur quorum res est una, nomina uero plura, ut *Simon Bariona Petrus*, quae unius eiusdem hominis sunt nomina, ut *Marcus Tullius Cicero*. (4) Eadem diffinitione sunt quorum unum est alterius diffinitio, ut *homo* et *animal rationale mortale* diffinitione sunt eadem. Eadem proprio sunt quorum unum alterius est proprium, ut *risibile* et *homo*. Hominis enim proprium est risibile. (5) Eadem accidente sunt quorum unum est alterius accidens, ut *Ioannes* eiusque albedo, et tandem quodlibet accidens, quod idem numero cum suo substantiuo facit, ut *homo albus, equus spadix spadix<sup>3</sup>, coruus niger*. (6) Quocunque uero modo dicatur idem,

---

<sup>3</sup> *Glossa Spadix, -icis*, feminino genere, et *haec spadica*, id est palma. Vnde *hic* et *haec spadix*, surrubeus, fuluus, scilicet colore palmae. Vnde et *spadices* dicuntur equi palmati, id est equi fului et

nunquam aliquam, quae sunt idem uel ut idem significant, coniunctionem recipiunt. Haec enim non eadem sed diuersa potest coniungere, ut *Simon Bariona et homo est animal rationale mortale; homo rationabilis, Ioannes studiosus.* (7) Quae si diuersa uel ut diuersa notet per coniunctionem uniri possent, ut *Simon et Petrus orant*, si de diuersis dicantur, et *Simon Bariona*que nomina sunt synonyma. Et *homo* et *animal* se habent ut diffinitum et diffinitio. Et *homo risibile*que, ut substantiuum et proprium debent accipi. Et *homo albus*que, ut substantiuum et accidens se tenent, uel *equus* et *spadix* nomina sunt diuersa. (8) Ex quibus consequens est dicere ea quoque, quae sunt idem numero, per coniunctionem coire posse, dum tamen ut diuersa significant pro diuersisque supponant.

[18] 177. Id quod substantiuo adesse non potest, scilicet ab extra, et sic non adest, sed inest a principiis intra, ut proprium quarto modo dictum, ut puta *risibile* homini uel *inhibibile* equo, et ita a substantiuo non potest abesse, mediante coniunctione cum substantiuo suo uniri non potest, nisi considerentur, ut diuersa, uel pro diuersis assumantur, id quod de superiori et inferiori dici potest. Superius enim inferiori nec adest nec abest, cum hoc accidentis sit. Itaque idem dici debet. (2) Exempla a regula proxime praecedenti pete. Quod autem non modo id, sed etiam differens dicatur tripliciter, et antedictorum confirmatio in Petro Hispano, in tractatu *De praedicabilibus*, capitulo II<sup>o</sup>, ubi etiam capitulo V agitur de proprio, etiamque in Porfirio, capitulo V, scilicet *De proprio*. Et in quinta parte *Catholicon* in his, et proprius uideri potest. (3) Harum VI postremarum regularum fundamenta circa finem capituli noni *Doctrinalis* glosatoribusque suorum inuenies, ubi sic *Doctrinale* dicit (9, 1.533-41):

«Quaeritur si liceat uoces coniungere binas  
Per uel siue per et solam uel non mediante,  
Cum uoces fuerint tales quod significato  
Vno alterius compraendis significatum.  
Recte dicetur *homo gramaticus* similesque.  
Et parti iunctum debes distinguere totum.  
Id solum praesta quod pars non denotat illa.  
Inde potest quaeri si possit idem sibi iungi  
Aut si iungatur quod abesse nequit uel adesse».

#### **XCV. De quam.**

[1] 178. Haec dictio *quam* in constructione congrue posita extrema quidem eadem natura participare facit, ut *Petrus est fortior quam Ioannes*. In hac enim constructione duo sunt extrema: *Petrus* scilicet et *Ioannes*. Et est quaedam proprietas, scilicet fortitudo, quae per comparatiuum importatur. Et ratione huius dictionis *quam* extrema, ut *Petrus* et *Ioannes*, fortitudinis proprietate participant. Sequitur enim quod fortis uterque sit. (2) An autem *quam* semper similes casus copulare possit, ut dicatur *ego misereor hominis fortioris quam Platonis*, dic quod sic, secundum Priscianum *Doctrinale*que, licet Petrus Heliae contrariam opinionem teneat. Supra, in regula 165, uide.

[2] 179. *Quam* multis modis teneri constat, ut per hos usus liquet. *Quam* signat *quantum*, *quam* comparat, eligit illud aut negat aut iungit similemque statum retinebit. Hoc infinitum quoque nomen ponimus esse. Aduersatur item *quam*, si fiat geminatum. Tenetur enim pro *quantum*, ut *quam fera*, *quam fortis*. (2) Vnde Ioannes de Garlandia: «Heu mihi quam doleo», id est *quantum*. Item comparatiue, ut *Socrates est fortior quam Plato* uel *quam tu*. Deinde electiue et negatiue simul, ut *tempus medicinae bonum est quam quaerelae*, quia sensus est *et non quaerelae*, et sic unum eligitur aliudque relinquitur. (3) Negatiue, ut *tempus est medicinae quam quaerelae*, id est *non quaerelae*. Electiue, ut *bonum est sperare in domino quam in principibus*, et *uolo plus esse pauper quam diues*. Coniunctiue, ut *in contemptu mundi, tam ducibus quam principibus mors communis habetur*, dicitur de morte similitudinarie, ut *iste est tam bonus quam tu*. (4) Insuper nomen infinitum est, ut *uideo nescio quam mulierem*. Denique geminatum pro *quamuis* accipitur, ut *quanquam multum peccaueris, tamen poenitendo uere mox ueniam obtinebis*. (5) Notandum autem quocumque modo *quam* sumatur, negandi modum habere. Ideo post ipsum *quam* poni non debet negatio neque post *quamuis* nec *licet*, tametsi romancium quandoque appetere uideatur. Vnde uersus:

---

rubicundi coloris, sicut palma. Vel qui palmae figuram habet in cruribus secundum *Catholicon*. Seruius autem 3<sup>o</sup> *Georgicorum* dicit (3, 82): «*Spadices* quos feniciatos uocant. Glauci autem sunt fulueis oculis quodam splendore perfusis». Ioannes Raimundus Ferrarii.

«Si gradibus mediis iungas *quam* despicias *non*».

(6) Nec omittendum est *quam* triplicem in se potissimum naturam habere, quippe cum naturam copulae destruendique et sic negationis, etiamque similitudinis, et hoc totum manifestum est sic dicendo: *Socrates est fortior quam Plato*. Sensus enim est quod Plato non ita fortis sit. (7) De *quam* supra, libro 2<sup>o</sup>, § *Tam et quam*, usque ad uersiculum *Idem Laurentius eodem libro, capitulo XX<sup>o</sup>, super longe*, scribo plenissime. Item de *quanquam* eodem libro 2<sup>o</sup>, uersiculo *Etsi quanquam, quamuis*. De *quam* uero et *praeterquam* in eodem 2<sup>o</sup>, ante finem, in uersiculo *Nec praetermittendum puto quod Laurentius* (supra, 2, 13, 1-ss.; 2, 20, 1; 2, 44, 2). (8) De harum duarum postremarum confirmatione circa finem noni cum suis glosatoribus *Doctrinale* uide, ubi sic habetur (9, 1.542-44):

«Si iungas recte, facies *quam* participare:

*Concesso quod tu melior sis quam Plato* recte

Concludes, ergo Plato participat bonitate».

[3] 180 regula. Si praeponatur alicui casuali coniunctio, necesse est aliud casuale sequi, et uerbum ad utrunque referri, ut et *Petrus et Paulus Christum uehementer praedicaui*. Huius regulae causa est. Coniunctio nanque duo extrema per respectum ad tertium copulare habet. (2) Oportet igitur, si praeponatur uni, quod sequatur, ita quod duo sint. Cum autem illa duo in uno termino participant, similia sint oportet, sed casuale est simile casuali, quare aliud casuale sequatur est necesse.

[4] 181. Si uerbo coniunctio praeponatur, aliud uerbum coniungendum est, et aliquod casuale ad utrunque referendum, ut *et legit et docet semper bonus praeceptor*.

[5] 182. Si aduerbio praeferatur coniunctio, aliud sequi debet aduerbium, et idem uerbum ad utrunque aduerbium referendum est, ut et acute et copiose scribis. Quod enim nomen uerbum reposit, id et aduerbium, cum in omnibus eadem sit ratio.

[6] 183. Si non praeponatur, sed interponatur coniunctio, diuersae partes possunt inferri, ut *scripsit Plato et Aristoteles, semper legit Ioannes et rimatur*. Has quattuor ultimas regulas cum aliquibus exceptionibus suis, primo minoris, et supra (5, 11, 1), in hoc libro, § *Tempestiuum est*, ubi de coniunctionis cum pronomine uel uerbo primae secundaeque personae constructione tracto, plenius examinatas inuenies.

[7] 184. Vbi aliqua extrema aequaliter colligari possunt, copula in medio est ponenda, ut denotetur illa extrema alicuius tertii respectu cum aequalitate coniungi, tunc autem illud tertium siue uerbum siue adiectiuum sit, in plurali poni debet, ut *Ioannes et Petrus orant, Paris et Helena albi erant*. (2) Quod si unum est principalius altero, et alterum ei, ut principaliori coniungitur, praecedit coniunctio, ut declaretur quod principalius est fortiusque ligandum, ut *et Petrus et Ioannes currit*. Hic enim *Petrus* et *Ioannes* uniuntur, ad quod designandum interponitur coniunctio, sed ad demonstrandum quod *Petrus* est principalior coniunctio praeferenda uenit, et quod *Ioannes* associatiue teneatur, prae se fert sequens coniunctio. (3) Vnde sensus est *et Petrus et Ioannes currit*, id est *Petrus currit cum Ioanne*. Quare hic uerbum et adiectiuum numeri singularis sequi debent, ut *et Petrus et Ioannes legit*, uel *est albus*, non autem *currunt* uel *albi sunt*. Itaque licet duo copulentur, tamen unum est altero praestantius in maiori participatione tertii, et sequens minus participare potest dici.

[8] 185. Haec coniunctio *et* tenetur quadrifariam: primum coniunctiue, et proprie tunc, cum aequaliter copulat, et tunc uerbum plurale subsequatur, ut *Petrus et Ioannes legunt*. Secundo, associatiue, ut *legere et non intelligere negligere est*; sensus enim est quod legere cum non intelligere sociato ipsi est negligere, et tunc uerbum sequitur singulare. (2) Tertio tenetur unitiue, et tunc singulare quoque sequi debet, ut *anima rationalis et caro est unus homo*; item in *Symbolo* Anastasii (= Caesar Arelatensis, *Serm* 3, 1): «Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita deus et homo unus est Christus». Quarto, zeugmatice potest assumi, et tunc non uerbum sed aliquid casuale subiungendum est, ut *Hebraei sunt et ego, tu ludis et ille*.

[9] 186. Sicut copulatiua coniunctio uerbum plurale exposcit, ut *ego et tu ieiunamus*, sic disiunctiua singulare, ut *ego uel tu ludis*. Et ratio est quia disiunctiua coniunctio inter ea quae coniungit simul esse non permittit. Vnde semper negatur alterum a participatione tertii, alterum uero teneri affirmatur, non determinate tamen, sed unum solum uel alterum. (2) Cum autem id quod affirmatur uel negatur singulare sit, quia duntaxat unum uel alterum affirmatur uel negatur, id tertium, quod ei additur, singulare esse oportet, siue nomen adiectiuum seu uerbum sit. Et, ut dicitur, naturam totius uniuersalis habet quod in uno indiuiduo saluari potest. (3) Copulatiua autem coniunctio totius integralis naturam sibi uendicat, quoniam uero totum integrale partes omnes suas requirit actualiter. Aliter enim totum



integrale non esset. Copulatiua quoque coniunctio actualiter respectu tertii coniungenda coniungit. Et quoniam ibi plura supposita uel copulata sunt actualiter, et qualibet actualiter reddit suppositum, uerbum plurale redditur huiusmodi copulatis. (4) De multis coniunctionibus naturaue ipsarum plene in 2<sup>o</sup> libro dixi, scilicet a uersiculo *Vti etiam pro ut accipi solet*, usque ad § *Quoniam satis*, iuxta libri finem (2, 17, 2); et libro IIII<sup>o</sup>, multis in locis, saltem in regula 64 et 68 usque ad regulam 142, et in 149 et 151 et 157 et 159 et 162, et 184 de *si non* et *nisi*, et in 185 de *nisi* post *quid* uel *aliud* interrogatiuum uel infinitiuum, et *nisi* et *quam* et *praeterquam* post *aliud* uel *aliter* uel *secus* uel comparatiuum. Vbi potes perspicere.

#### **XCVI. De relatione extrinseca.**

[1] 187. Quando extrinseca fit relatio, dictio quoque extrinseca debet adici, per quam relatiui dependentia terminetur. Hoc est, quando relatiuum ad aliud dependet extrinsecum, ut pater ad filium, dominus ad seruum, *pater* relatiua est dictio, *filii* uero dictio est, quam sibi addi cupit, ut per eam sua finiatur dependentia.

[2] 188. Quando relatio fit intrinseca, adici quippiam extra non expeditur. Interius enim tota relatiui dependentia terminatur, et hoc semper in plurali fit, ut *hi quos cerno, similes sunt*. Hic enim ambo concluduntur extrema.

[3] 189. Relatiuum duplex est: grammaticale scilicet et logicale. Primum est rei antelatae recodatiuum, ut *quis, qualis, quantus* et similia. Dicitur autem grammaticale quia spacialiter consideratur a grammatico, qui licet et logicale consideret, tamen hoc spacialius, ut et alterum dicitur logicale, quia magis ad logicum quam grammaticum eius spectat consideratio, qui quidem logicus de grammaticali nulla aut minima consideratione habet. (2) Relatiuum uero alterum seu logicale est, Prisciano teste, quod sine intellectu eius, ad quod dicitur, proferri non potest, uel iuxta Philosophi Petrique Hispani in *Praedicamentis* sententiam (*Categ. 7*), ad aliquid talia dicuntur, quaecunque hoc ipsum quod sunt aliarum dicuntur, id est in genitiuo casu uel quomodo libet aliter ad aliud, id est in quolibet alio casu, in quo malueris ponere. (3) Sciendum autem hoc relatiuum triplex esse: unum in superpositione, ut *dominus, pater*; alterum in subiectione, ut *filius, seruus*; tertium in aequiparatione, ut *socius, uicinus, similis* et *aequalis*. (4) Haec per Aristotelem et Petrum Hispanum in *Praedicamentis*, capitulo de relatione, confirmantur, et haec pleraque alia hic supra, regula 29 usque ad 32, plenius exponitur. Hic autem duntaxat scripsimus quae ad duarum regularum proxime praecedentium sequentisque declarationem faciunt.

[9] 190 est regula quod relatiua quae in suppositione subiectioneque existunt, semper extrinsecam relationem reddunt, et ita semper addi aliquam dictionem appetunt eorum dependentiam terminantem, ut *pater* dependet ad *filium* et econtra. Ideo unum alterum sibi addi cupit ad eius dependentiam terminanda, ut *pater* addi desiderat *filium* uel eum cuius pater est, et econuerso. (2) Sed ubi relatiua sint aequiparante, dic bifariam fieri, quia uel relatiuum tale numeri singularis fuerit uel pluralis, primo modo semper extrinsecam relationem agunt, et ob id aliquid debet adiungi ad eius dependentiam finiendam, ut *iste similis est illi*. (3) Quod si fuerint in plurali, fiunt, et dupliciter: aut enim in se ambo extrema, aut unum tantum includunt. Si unum tantum adhuc est relatio sibi quippiam extra iungi desiderans, ut *hi sunt similes*, istis uel illis demonstratis duobus uel pluribus ex una parte alteroue extremos. Sin autem ambo extrema in se includant, intrinseca fit relatio, qua de re nihil extra cupit adiungi, quippe cum tota terminetur in idem dependentia. (4) Et enim Ioanne Petroque demonstratis, dici potest *isti sunt similes*. Sensus enim est quod Ioannes similis Petro sit, et econuerso. Itidem est si dicatur *hi sunt similes*, demonstratis duobus aut pluribus, et ita de similibus, ut *hi sunt propinqui, socii* uel *uicini* dici debet. (7) Harum VII regularum probatio in fine noni *Doctrinalis* glosatorumque suorum, praesertim Ioannis de Crocho, ibidem quarentibus prompta fiet. Vbi sic *Doctrinale* canit (9, 1.445-49):

«Deque relatiuis logice fit regula talis

Quando relatio fit extrinseca, debet eidem

dictio subiungi, quae rem determinet eius

Cumque relatio fit intrinseca nil petit addi

Plurali numero: *similes sunt quos ibi cerno*».

### **XCVII. De relatiuis.**

[1] In harum principio regularum praecepta XII doctrinasque octoginta octo, ex quibus utriusque numerus complet centenarius, per regulas, id est breues copiose dictorum traditiones succinctasque resumptiones, perstringere potuissem, tamen ne opus nimis prolixum et molestum habeatur, cum iam id plerique dixerint, qui rei latitudinem difficultatem, utilitatem non gustarint, praetermittendum putauit, praesertim cum maior pars illorum sat breuiter sit edocta. (2) Eisdem de causis regulas pronominum illorumque octo, cum *quis* uel *qui*, secundam pronominum declinationem sequentium, ad elegantes planeque latinis constructiones pertinentes praetereo, maxime cum fere omnes, praeter ea quae in 2<sup>o</sup> libro scripsi, in tertii quartique regulis iam fuerint explanatae, adeo ut praeter nimiam regularum multitudinem, iam numerum quingentesimum excedentem, res nimis superuacanea putaretur.

[2] Verumenimvero non nulla delecta ad pronominum similibusque, praesertim relatiuorum pulchrarumque elegantiarum materia opportuna, superius intacta uel non satis ante oculos collocata, per regulas explicanda praetermittere non possum.

[3] 191. Igitur est regula quod relatiua saepe per suorum antecedentium reperiuntur eclipsim, ut *nihil clementia praeeccellentius homo habere potest uelut qui per eam deo fit simillimus*. Hic enim *his* isue deest, aut *dic uelut participans, quae uirtus diuina uocatur*. Nam et hic *huius eiusue uirtutis* uel *hanc eamue uirtutem* uel *hac* aut *ea uirtute* deficit, et suppleri potest.

[4] 192. Relatiua nisi ponantur, non intelliguntur, nisi antecedentia in demonstratione sint, quae relatiua subintelligant. Nam et tunc sine relatiuis antecedentia poni possunt, ut si Sanctum Franciscum, quinque plagas ostendens: *talis in cruce Iesus erat*, uel Achillem, Hectorem, Dauid, Alexandrum Caesaremue commemorans adiciat: *talis Sanctus erat Georgius, et Karolus Maynes*, uel Sansonem Goliachque gigantem referens exprimat: *talis et tantus iste fuit et erit*. (2) Has duas regulas Priscianus primo minoris, § *Et necesse est, uersiculo Sciendum tamen*, carta IX<sup>a</sup>, confirmat sic inquit (17, 32): «Sciendum tamen quod per eclipsim aliorum casualium haec saepe inueniuntur relatiua, ut Terentius in *Andria* (148-49):

«Ita tamen discedo ab illo, ut qui se filiam neget esse daturum»,

deest enim *ab ea*, qui neget; et *uenit cuius est causa*, deest *iste*. Et *exigit cui debeo et minatur quem timeo; et floret quo ualeo*, deest enim omnium nominatiuus, in omnibus illis subintelligendus est nominatiuus, nam uocatiuum relatiua non habent (3) *Qualis* quoque et *quantus* et *quot* per defectionem *talis* et *tantus* et *tot* frequenter inueniuntur. Nec mirum relatiuis positis, quae secundam signant noticiam, etiam antecedentia uel redditua intelligi, licet non sint dicta, ut *qualis Homerus, fuit Virgilius*, ut Virgilius in 2<sup>o</sup> *Aeneidos* (2, 331):

«Milia quot magnis nunquam uenere Micenis».

(4) Et nota figuram quod pro nominatiuo uel accusatiuo uel ablatiuo solum posuit nominatiuum, quomodo Terentius in *Andria* (148-49), ut supradictum est:

«Tamen discedo ab illo, ut qui se filiam neget daturum».

Relatiua autem nisi sint posita, intelligi minime possunt, nisi in demonstratione. Tunc enim et sine relatiuis possumus redditua proferre, ut si ostendentes Virgilius dicamus *talis fuit Homerus*, uel Thesea demonstrantes dicamus *tantus fuit Hercules*.

[5] 193 regula secundum Laurentii Vallensis *Elegantias*, libro III<sup>o</sup>, capitulo XXI<sup>o</sup>, est quod «Relatiuum frequenter antecedenti in genere uel numero non respondet, quippe cum eius sententia ab antecedenti ad sequens substantiuum de masculini in neutrum reflectatur, ut Salustius (*Cat.* 55, 3): "Est locus in carcere quod Tullianum appellatur". Econtra Valerius Maximus, libro II<sup>o</sup>, dixit (2, 2, 6): "Antea Senatus assiduam stationem eo loci peragebat, qui hodie cenaculum appellatur". (2) Mutatur etiam numero, ut Cicero (*Parad.* 1, 11): "Quibus gradibus Romulus in caelum ascendit, iisne quae isti appellat bona?" De masculino quoque in femininum, ut idem (*Off.* 2, 70): "Omnes tenues atque humiles, quae maxima in populo multitudo est, sibi praesidium paratum putant".» (3) Vnde Nicolaus Perottus in capitulo de relatiuis, in fine, sic ait (fol. k5r.): «Relatiuum discordatne aliquando ab antecedente? Discordat. In quibus accidentibus? In genere et numero. Quomodo in genere? Vt apud Salustium (*Cat.* 55, 3): "Est locus in carcere quod Tullianum appellatur". Quomodo in numero? Vt (cic. *Off.* 2, 70) "Omnes tenues atque humiles, quae maxima", et cetera. (4) Manente quoque genere secundum eundem Laurentium «Numeri uidetur fieri quaedam mutatio, ut Quintilianus (*Decl.* 12, 13): "Vbi uero

uniuersas familias fames extinxit, quae pars maxima est, inanes domus situm ducunt". E diuerso de feminino in masculinum, non mutato numero, ut Salustius (?): "Ea fines habet ab occidente fretum nostri maris et Oceani; ab ortu Solis decliuem latitudinem, quem locum Catabathmon incolae appellant". (5) Mutato etiam numero, ut Quintilianus (8, pr. 18): "Resistam iis qui ommissa rerum qui nerui sunt causis, diligentia". De neutro in aliud genus, Salustius (?): "Ipse ex flumine quam proximam oppido esse aquam supradiximus, iumenta onerat". Mutato enim numero, ut Liuius (4, 59, 4): "Auxur fuit, quae nunc Terracinae sunt, urbs prona in paludem". (6) Aliquando sine ullo certo antecedenti, ut Quintilianus (*Decl.* 4, 11): "Ego, quae felicissima uel lassitudo uel societas, uirtute consenui".

### ***XCVIII. De regulis impropriis sed ornatis.***

[1] 194. Lepide frequenter datiuus pro nominatiuo cum substantiuo uerbo collocatur, ubi quandoque et nominatiuo sed naturalius utimur. Id quod per relatiuum et sine relatiuo fit per relatiuum, cum dictio substantiuo praecedenti respondet, et sequenti respondere deberet. (2) Dicit enim Virgilius primo *Aeneidos* (1, 267):

«At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo».

Hic enim per relatiuum lepide datiuus, scilicet *Iulio*, cui praecedenti substantiuo respondet, cum sequenti, scilicet *cognomen*, naturalius responderetur. (3) T. Liuius, libro XXV<sup>o</sup> (25, 2, 6): «Scipio, cui Africano fuit cognomen», ubi *Africanus* naturalius, sed minus ornate dictum esset, ut facit Cicero (*Caec.* 27): «Argentarius Sextus Clodius, cui nomen est Phormio». Sine relatiuo per nominatiuum et datiuum fit: per nominatiuum Terentius (*Hec.* 1):

«Ecyra est huic nomen fabulae».

Per datiuum Liuius libro primo (1, 4, 7): «Faustulo fuisse nomen ferunt».

[2] 195. Ornate accusatiuus pro nominatiuo et alii casus pro aliis usurpantur, ut antecedens relatiui casum, suo relicto, sequatur, Virgilius primo *Aeneidos* (1, 573):

«Urbem quam statuo uestra est».

Oratores autem antecedens postponunt, ut quam urbem statuo uestra est. Ouidius (*Met.* 14, 350):

«Cecidere manu, quas legerat herbas».

Quintilianus (*Decl.* 4, 19): «Timeo nequos porrexerim cibos uenena fiant». (2) In quo ratio est habita uenustatis, ut relatiuum et antecedens in eodem casu sint, sed saepius, altem apud oratores, antecedente postposito. Tale est id *Euangelii*: «Sermonem quem uos audistis uerus habetur». In graeco autem, testante Laurentio (3, 19), hoc est in fonte, *sermo* non *sermonem* est. Vnde noster interpres latine quam grammatice loqui maluit. (3) Nec ignoratur, qualia minus docti in hoc *Euangelii* loco soleant disputare, profecto nullatenus disputaturi, si linguam graecam mediocriter, latinam perfecte scirent. In tali sermonis genere uel idem nomen repetetur uel accusatiuus in casum debitum resoluatur, nam utrunque fieri comperitur exemplis; siquidem frequenter ita loquuntur auctores. (4) *Quos libros commodauit tibi, ii libri cum fratre sint communes*, uel *ex eis aliquot cum fratre communes facies*, uel *ii sint cum fratre communes*. Itidem per ceteros casus est. Illud Oratii magis est poeticum, V<sup>o</sup> *Carminum* (*Epod.* 2, 37-38):

«Quis non malarum, quas amor curas habet,

Haec inter obliuiscitur?».

(5) Ad hanc regularum plenius cognoscendum, supra, 63 cum duabus sequentibus, perspice.

[3] Si substantiuum cum adiectiuo praecedat, cum intellectu huius uocis *ne dicam* et *dicere oportet*, etiamque similium, adiectiuum sequens in accusatiuo ponetur subintelligendo *eum*, ut *homo doctus*, *ne dicam eminentem*, *eumque* subintellige quod melius dicitur quam *homo doctus*, *ne dicam eminens* (2) Sin autem post huiusmodi interiectum substantiuum cum suo adiectiuo sequatur, in nominatiuo poni debet, ut *asper et uiciosus*, *ne dicam crudelis et sceleratus rex*. Nam perquamabsurdum foret sic dicere: *asper et uiciosus*, *ne dicam crudelem et sceleratum regem*. (3) In aliis autem casibus haec nec diuersitas nec causa reperitur, ut Cicero (*Mil.* 26): «An sperasset hoc, uiuo Milone, ne dicam consule?» Vel *an sperasset, hoc uiuo, ne dicam consule, Milone?* (4) Illud eiusdem in libris *Ad Herennium* (4, 40), his nec dissimile nec usqueadeo simile dici potest: «Offuit plurimum eo tempore rei publicae consulum siue stulticiam siue maliciam dicere oportet, siue potius utrunque». Hic autem deest suppositum, nam uerbum interiectum de nominatiuo in

accusatiuum mutationem fecit. (5) Sed, teste Laurentio (3, 20), sicut in Euripo<sup>4</sup> aut Siciliae freto inflata uento uela aquarum impetus retroire cogit, ita orationem lege grammatica euntem auctoritas ipsa consuetudoque inhibet ac repellit. (6) Verum ut grammaticorum expectationi satisfaciam, sic construendo erit: *aut stulticia consulum aut malicia aut potius utrunque offuit plurimum eo tempore rei publicae*; siue *illud factum consulum dicere oportet stulticiam siue maliciam siue potius utrunque*; uel sic: *offuit plurimum rei publicae eo tempore consulum factum*, ita quod hic nominatiuus *factum* suppleatur; siue *illud maliciam siue stulticiam eorum siue utrunque dicere oportet*.

[4] 197. Si post accusatiuum primae, secundae tertiaeue personae infinitiuus sequitur, subsequens res in nominatiuo poni debet, secus si infinitiuus postponatur, tunc enim utraque res in accusatiuo collocanda uenit. Exemplum primi: *sentio te bonum praexcellere, ut ceteri*. Hic enim subintelligitur, scilicet *boni praexcellit*. (2) Exemplum secundi: *sentio te bonum, ut ceteros, praeminere*. Hic quidem nihil potest intelligi, infinitiuo statim subsequente et omnia ad suum regimen attrahente. Itaque tuinc sic fiet expositio: *sentio te bonum praeminere, ut sentio ceteros praeminere*.

[5] 198. *Spero credoque* cum infinitiuo *esse* a parte post proprie nominatiuum poscunt, ut *spero tibi esse diligens aduocatus, credo causarum expeditioni fuisse accintus*. Nec accusatiuum admittunt, nisi alter accusatiuus antecedit, ut *spero me tibi diligentem aduocatum fore, credo me causarum expeditionem fuisse accintum*. (2) Id quod de *nolo* et *incipio* dici potest, ut *noli mihi esse hostis, incipe mihi fidelis esse*, sed et cum accusatiuo praeeunte accusatiuum post quoque recipiunt, ut *noli te mihi fore hostem, incipe te mihi fidelem esse*. (3) Quaedam uerba, ut *nego, praecipio, libet* quinimmo pleraque cum nominatiuo iungi infinitiuo *esse* mediante recusant, ut *nego illi mihi familiarem esse, sed non familiaris dicatur; praecipio tibi deo esse deuotissimum; tibi libeat, in omnibus studiosus esse, caueas laudibus antefactis uituperando esse contrarium; sperne dictis uel factis tibi repugnantem esse*. (4) In his enim et ceteris, nisi minus usitate per nominatiuum loqui non licet. Hoc tamen minus usitatum loquendi genus quandoque reperitur, ut apud Ouidium libro primo sine titulo (*Am.* 2, 4, 14):

«Speremque in molli mobilis esse thoro»,

et apud Lucanum in X<sup>o</sup> (9, 1.037-38):

«Tutumque putauit

Iam bonus esse socer»,

alius dixisset *iam socerum esse bonum*. (5) Et apud Catonem libro primo, in illo uulgari uersu (*Dist. Cat.* 1, 4):

«Sperne repugnando tibi tu contrarius esse»,

quod si dixisset *noli repugnando* uersusque pateretur, nullum de constructione dubium esset. Talis tamen loquendi modus e graeco fluxit, ubi perusitatus sit.

#### **XCIX. De nominatiui et uocatiui communione.**

[1] 199. Secunda persona imperatiui modi utriusque numeri cum solo nominatiuo huius pronominis *tu* uel expresso uel subintellecto in nominatiuo nominis participiue expresso construitur, ut *o deus, tu miserere mei; o reges, uos facite iusticiam*, uel *tu, dominus, adiuua peccatores ad crimina relinquenda*; uel *tu, omnia potens donansque in proelio, nos defende*; uel apud Catonem in 3<sup>o</sup> (*Dist. Cat.* 3, 10):

«Vtile consilium dominus ne despice serui».

Hic enim *tu* nominatiui casus subintelligendus est, sed hoc exemplum per euocationem tacitam excusatur, ut superiora per expressam. (2) In his autem locutionibus si uocatiuus exprimitur, ut *domine exaudi me*, is a secunda persona imperatiui modi subintellecta, scilicet *audi* uel *percipe*, regi uel absolute poni debet, ut antedictum est. (3) Haec autem regula non solum in imperatiuo, sed etiam et facilius quidem in aliis modis obseruari potest, ut *domine, ne in furore tuo arguas me neque in ira tua corripas me*, et Cato in primo (*Dist. Cat.* 1, 16):

---

<sup>4</sup> Glossa: *Euripus* cum *-i* latino et unico *-p* scribitur, est maris pars quaedam inter Boetiam siue Phocidem Boetiae partem et Euboiam insulam sita, quod alterno cursu, teste Pomponio libro 4<sup>o</sup>, hoc est cursibus et recursibus septiens in die totidemque in nocte refertur. Et adeo immoderate conuertitur, ut uentos ac etiam plena uentis nauigia secum portet, dicente Seneca in *Hercule Oaetho* (779-81): "Euripus undas flectit instabiles uagas, septem cursus flectit, et totidem refert, dum lassum Titan mergat Oceano iuga". Cuius casus, ut puto, nemo nouit, nam nulla flante aura fit illa cursus recursusque alterno secundum Tortellum. Ioannes Raimundus Ferrarii.

«Multorum cum facta senex et dicta recenses»,  
 et cetera. (4) Sicut in 193 regula usque ad hanc a Laurenti Vallensi, libro III<sup>o</sup>, capitulo XXI usque ad 27, sumi potest confirmatio, sic affirmari potest quod in multis de quibus ipse Laurentius, peracutus perque doctus, regulas tradere non est ausus, ego ipse, cum dei adiumento, tradiderim. (5) Quippe praeter antedicta per uiam doctrinae uel exemplorum a Laurentio posita in regulas a me generalitatemque traducta, ille ipse Laurentius in eo XXVII<sup>o</sup> capitulo, scilicet de communionem uocatiui et nominatiui sine regulae traditione cum sola fere exemplorum commemoratione dicit: «*Defende me, domine; adiuua me, optime uir; tace, homo imperite*, mutato uocatiuo in nominatiuum non recte dicitur. Item *defende me, tu dominus meus; adiuua me tu, uir optimus; tace tu, homo imperitus*. (6) Hic per nominatiuum et recte loquimur. Subintelligitur enim *ens* hoc modo, *tu ens dominus meus*. Qua ratione defendi posset illud in *Psalmo* (134, 5): "Domine dominus noster", nisi sumptum esset e graeco. Idem fit in uocatiuo alicuius nominis, Virgilius (*Aen.* 1, 664):

"Nate, mee uire, mea magna potentiam solus".

Idem in nominibus propriis, quod fit in hoc pronomine et in uocatiuis casibus sic: *Aue Caesar, summus imperator*. (7) Neque id tantummodo in imperatiuo, uerum etiam est quidem facilius in aliis modis, ut *quo tendis Aenea, extremus omnium Troianorum*, uel *extreme; uiuis et regnas, Helene, dono deum, et regnas medius saeuissimorum hostium*, melius quam *medie*. Male per solum proprium nomen aut iunctum cum pronomine, ut *quid facis Seruius*, uel *tu Seruius*, aut per nomen appellatiuum sine pronomine, ut *quid facis, dominus meus?* nisi tali modo, ut *quid sedes inter seruos, dominus?* Hic subintelligitur *ens*, ibi subintelligi non potest». (8) Haec scite subtiliter dicit Laurentius, tamen dictis suis aliquid addi posset, nam in oratione illa *defende me, tu domine deus meus*, subintelligi *ens* non oportet, sed per euocationem expressam defenditur talis locutio, ut et haec *quid facis Seruius*, et haec *quid facis, dominus meus*, per tacitam. Nec modo congrue licet improprie sed et eleganter, saltem in appellatiuis, hoc dici existimo. (9) Cato nanque inter minutos auctores latinissimus, et quo mille annis nemo scripsit elegantius, ipsius Laurentii sententia, libro III<sup>o</sup> *De elegantis*, capitulo XVIII, hoc dicendi modo saepe sit usus, et enim libro I<sup>o</sup>, sic eleganter ait (*Dist. Cat.* 1, 16):

«Multorum cum facta senex et dicta recenses  
 Fac tibi succurrant iuuenis quae feceris ipse»;

idem in II (2, 4):

«Iratu de re incerta contendere noli»;

idem in eodem (2, 7):

«Quod pudeat socios, prudens celare memento»;

idem in eodem (2, 29):

«Iudicium populi nunquam contempseris unus»;

idem in III<sup>o</sup> (3, 3):

«Productus testis, saluo tamen ante pudore  
 Quantuncunque potes celato crimen amici»;

idem in eodem (3, 10):

«Vtile consilium dominus ne despice serui»;

idem in IIII<sup>o</sup> (4, 20):

«Prospicito cuncta tacitus, quod quisque loquitur»;

idem in eodem (4, 39):

«Cede locum laesus, fortunae cede potenti»;

idem in eodem (4, 43):

«Suspectus caueas ne sis miser omnibus horis».

(10) Nec abs re *saltem in appellatiuis* dixi, sic eum apud multos elegantes auctores in appellatiuis tacitam euocationem legi, sic hactenus in propriis non recolo me legisse, sed in his illo semper uocatiuis fuisse usos.

### **C. Verbum cum ultimo supposito in persona, genere, numero concordare debet**

[1] 200<sup>a</sup> regula est quod uerbum cum ultimo supposito in persona, genere, numero concordare debet: in persona, *ego illum, ille me diligit*; in genere, *Petrus Iesum, Magdalena quoque sectata est*; in uero, *Christo orante, discipuli et Petrus dormiebat*. In persona uero, genere numeroque insimul: *propter belli*

*calamitatem ego et tu fereque omnes ciues et ciuitas ipsa depauperata remansit.* (2) Excipitur tamen per comparisonem aut similitudinem facta locutio: per comparisonem, ut *ego libentius quam tu etiamque omnes, studeo*, non autem *quam tu etiamque omnes studetis*, nam principale uerbum efferri debet, subintelligi uero minus principale. Per similitudinem hoc modo: *sic ego, ut tu, uigilo*, sed non *ego, ut tu uigilas*.

[2] 201 regula, quod adiectiuo praecedenti obsequi substantiua debent, ut *nulla uirgo remanet, uel corrupto comite me uel te matre*, aut *uel corrupta comite te matre uel me*, non autem sic: *me comite corrupto uel te matre*. Aut secundum Laurentium Vallensem sic exempla ponentem (3, 25): «*Nulla uirgo est dicenda uel corrupto animo uel corpore*, dic pro *animo, mente* sic: *nulla uirgo dicenda uel corrupta mente uel corpore uel mente*. Econuerso latinum non erit. (2) Aut praecedente uerbo, aut in finem adiectiuo reiecto sic: *nulla uirgo est dicenda uel mente corrupta uel corpore*, aut *uel corpore corrupto uel mente*. Item *uel mente uel corpore corrupto*, aut *uel corpore uel mente corrupta*. Similiter in plurali: *nemo diues est uel ualitudine infirma uel sensibus*, aut *uel sensibus infirmis uel ualetudine*».

[3] 202. Adiectiuo praeeunte, diuersa substantia singulas coniunctiones uel copulatiuas uel disiunctiuas habentia, latine non coeunt, ut *corrupto et corpore et mente, lacerata uel facie uel brachio*. Adiectiuum nanque ad utrunque substantiuum in genere et numero applicari debet, ut *corrupta et fronte et maxilla, uulnerato uel naso uel oculo*.

[4] 203. Verba diuersarum personarum cum eadem coniunctione eis praeposita, nisi prior omnino praecedat, eleganter minime coniunguntur, ut *tu nec faceres nec ego permetterem*, ut enim hoc latine non dicitur, sic: coniunctione praecedente omnino, elegans sermo fit, ut *nec tu faceres nec ego metterem*. (2) Secus autem est si uerba eidem personae tribuantur, ut *tu nec faceres nec a me permitteris facere*, tota nanque a dictione prima pendet oratio. Item *potes cognoscere partim ex aliorum sermone, partim te edocebit ipse tabellarius* a latinitate abhorret, non sic: *partim potes cognoscere*, et cetera, aut sic: *potes cognoscere partim ex aliorum sermone, partim ex tabellario*.

[5] 204. Verba diuersam naturam habentia eidem personae in casuali priori uerbo congruenti positae attributa latine sic commisceri non possunt, ut *ego non offendi Petrum nec profui; ille mihi nec nocuit nec adiuuit*. Latine nanque sic diceretur: *ego nec offendi Petrum nec adiuui; ille mihi nec nocuit nec profuit*.

[6] 205. Non nunquam tres negationes non plus quam duae efficiunt, ita quod principalis in principio collocetur, nam si locum in medium postremumue mutetur, uis euanesceat illa, ut *nunquam mihi nec offuisti nec profuisti, nescis nec in pace nec in bello uiuere*. Tres hic negationes sunt, quae idem quod duae faciunt, ut *nec mihi offuisti nec profuisti; nec in bello nec in pace scis uiuere* (2) Enimvero si principalem negationem mutaueris, nihil facies, ut *mihi nec offuisti nunquam nec profuisti*, uel *mihi nec profuisti nec offuisti nunquam*. (3) De 193 usque ad praesentem regulam a Laurentio Vallensi, libro 3<sup>o</sup>, capitulo XXI, usque ad XXXI, auctentica fundamenta peti possunt. Et uide supra, plenius libro 2<sup>o</sup>, § *In libro uero III<sup>o</sup>* (2, 40, 1), quid momenti coniunctio aduerbiumque disiunctiuum ex collocatione faciant. Et in uersiculo proxime sequenti de negationis usu. (4) Consequenter de *uereor, timeo, metuo* similibusque cum negatione *ne* uel sine ea idem facientibus. In uersiculo uero *Neutiquam* de multis aduerbiis negatiuis. De quibus etiam libro 4<sup>o</sup>, regula 102. (5) Item in eo libro 2<sup>o</sup>, uersiculo *Huic addamus* (2, 41, 4), ubi debeat negatio geminari, et de *nemo, nihil, nil, nihilum, nihilifacio, nihilipendo, nihilominus*, de *minus* cum *nihil* et *paulo* et *quominus* et *siquominus*, de quibus et libro III<sup>o</sup>, regula 81, copiose dixi. (6) Insuper in eodem libro II<sup>o</sup>, § *Ego quoque in capitulo sequenti* (2, 42, 1), sat plene tracto de temporibus imperatiui modi uel secundum Graecos et de modorum officii significationeque ex Prisciano VIII maioris et 2<sup>o</sup> minoris excerptis adiicio. Vbi habetur (Prisc. 8, 63; 18, 48) quod in passiuus uel aliis passiuam declinationem habentibus uti praeterito tempore possumus imperatiui coniungente participium praeteriti cum uero imperatiuo temporis praesentis uel futuri. (7) Deinde de uerborum modis et quid modi sint, et quot sint et quid imperatiuus sit et quod non modo imperantes, sed etiam orantes imperatiuo soleamus uti. Item quod subiunctiuus cum diuersas significationes habeat, ab una earum ut a constructione nomen acceperit. Hic autem confirmationem suasionem imperium sine alio uerbo ostensionem quid fieri potuisse, nisi quid impedimento fuisset, significat. (8) Et quod infinitiuus est qui personis et numeris deficit, unde nomen *infinitiuus* accepit. Et quod infinitiuus apud Graecos pro imperatiuo ponatur, apud nos autem pro praeterito imperfecto. Et apud nos et illos per figuram eclipseos, id est defectionis, et hoc secundum eundem Priscianum primo minoris, circa medium, § *Itaque apud Graecos*, postea dicentem in uersiculo *Cum etiam* alios modos pro aliis ab auctoribus accipi. (9) Vbi quoque de quinque modis plenius accuratiusque examinatur. Et in § *Illud autem* (18, 75) exponit imperatiua uocatiuis casibus adiuncta nominum perfectionem orationis habere, et optatiua per se rem uotumque notare, aduerbium uero

*utinam* uotum tantummodo, quod ad ampliorem demonstrationem uerbis optatiuis addatur, ut confirmatiua indicatiuo. (10) Et auctores subiunctiuis pro indicatiuis per frequenter uti. Et *si* coniunctionem frequentissime dubitationem significantem subiunctiuo sociari. Cum uero rem rei continuari significat, indicatiuo iungi, adeo ut *si* coniunctio et indicatiuo et imperatiuo et subiunctiuo possit adiungi, sed indicatiuo coniuncta magis rem confirmari et credi sic esse et fieri posse quam dubitari ostendat. (11) Et Virgilius de rebus quas procul dubio factas esse uult ostendere, indicatiuis cum ipsa coniunctione *si*, quas uero dubias, subiunctiuis cum *si* magis utatur. Et Cicero indicatiuum cum aduerbio dubitatiuo pro subiunctiuo ponat. (12) Et in dubiis indicatiuo cum *si* coniunctione utantur auctores. Et *si* quandoque, quomodo *ut*, per defectionem subaudiendum sit. Et subiunctiuis nunc dubitationem, nunc comprobationem, nunc possibilitatem notet. Et in § *Sciendum tamen* (18, 93), quod *ut* coniunctione causali et *si* sequentibus uel antecedentibus cum uerbis subiunctiuis, etiam antecedentia uel sequentia frequentissime per subiunctiuum proferre soleant, et maxime *qui* uel *quae* uel *quod* adiuncto rationem et dubitationem colligentes. (13) Et in § *Illud quoque* (18, 96), quando rei factae nos poenitere uolumus ostendere, subiunctiuo utamur. Et praeterito plusquamperfecto subiunctiuum praeteritum imperfectum soleant auctores coniungere, ut *fecissem, nisi impedires*, et econtra, ut *facerem, nisi impedisses*. Et praesenti praesens uel futuro uel praeterito, ut *faciam, nisi impedias* et *nisi impedieris*. Et hoc quo ad secundum, sed quo ad tertium etiam, et *fecero, nisi impedias*, et *impedieris*. (14) Et subiunctiuum quoque per *possum* et infinitiuum exponatur, ut (Verg. *Aen.* 2, 60)

«Iam flammae tulerint, inimicus et hauserit enses»,

pro *poterat hausisse*, et *dixeris egregie* pro *poteris dicere egregie*. Et frequentissime auctores subiunctiuis utantur confirmantes etiam praeterito tempore res perfectas. (15) Posthac Priscianus declarat (18, 102) subiunctiuum ad futuram cognitionem intelligi, ut *ita sim* pro *ita inueniar* uel *cognoscar*. Et *ut* causalis coniunctio et quandoque pro ea ponatur, subiunctiuo omnibus temporibus adiungantur eisue indicatiua subiunctiuaque anteponi uel subiungi possint: *doceas ut proficias, doceas ut proficias*. Et quod imperatiuis frequenter auctores subiunctiuam ponant. (16) Praeterea Priscianus in eodem 2<sup>o</sup> doceat saepe auctores subiunctiuis affirmatiue fuisse usos, et *si* praepositam subiunctiuum subiunctiuo coniungere. Tandem auctores omnibus subiunctiuum temporibus pro optatiuo fuisse usos, et poetas metri causa indicatiuo pro subiunctiuis posuisse. Consequenter super ipsis modorum officiis tantae digressionis ratione assigno.

[7] 206. Quattuor modis iuberi potest, ut persecundam personam praesentis temporis imperatiui modi, et per secundam futuri eiusdem modi, et per secundam futuri indicatiui et secundam optatiui, seu secundam praesentis coniunctiuum modi qui affirmando idifferenter usurpantur, ut *ama, amat, amato, amatote, amabis, amabitis, ames, ametis*. (2) Horum autem quattuor iubendi modorum uno tantum in negatione cum iussu quodam seu ad iubendum pertinente iussumque negatiuum faciente utimur, ut *ne ames, ne ametis*. Hoc est per secundam personam futuri optatiui modi, seu praesentis coniunctiuum, ita quod tunc *ne* non modo dehortatiuum, sed et abnegatiuum sit, sed hic abnegatiue sumi debet. Ad hoc Priscianus XVI maioris facit (16, 5), ut supra, libro 2<sup>o</sup>, uersiculo *Priscianus de ne*, carta 115, plenissime disputauit (2, 32, 4). (3) Licet autem dicatur et proprie *ne ama, ne amate*, hoc tamen uetitiue seu prohibitiue dicitur, sed negatiue nisi improprie dici non potest, ut in sequenti regula planius exponetur.

[8] 207. *Ne* dehortatiuum, uetitiuum, prohibitiuum indicatiuo non praepositur, sed uel imperatiuo uel optatiuo uel coniunctiuo uenit infinito. *Non* uero imperatiuo proprie non potest adiungi, nisi in compositione *noli*. Aliis uero modis apertissime sociatur, ut Priscianus in XV, post principium, uersiculo *Ne cum est dehortatiuum*, ait (15, 2). (2) Et in eodem XV, carta penultima, subiicit (15, 32): «Abnegatiuum est ut *non, haud, nunquam, minime*. Sciendum tamen quod etiam aliae partes accipiuntur pro aduerbiorum diuersis significationibus, et est quando duae pro una, ut *nullomodo, nullatenus, quomodo*. (3) Nec sine ratione dixi *non imperatiuo proprie non iungi*, quia non nunquam iungi, sed improprie reperitur, ut apud *Doctrinale* in primo (1, 88):

«-N- -u- non iunge reliquis uocalibus adde».

Hic enim *non* abnegatiuum pro *ne* dehortatiuo surrogatur. Catoque latinissimus dicit in primo (*Dist. Cat.* 1, 8):

«Nil temere uxori de seruis crede quaerenti»,

*nil* enim pro *non* et *aliquid* debet exponere. (4) Ideo Laurentius Vallensis, *De elegantibus* libro 3<sup>o</sup>, capitulo 32<sup>o</sup>, sicite dicit: «*Non ueni, non fac, non iugula* apud oratores fere nunquam, sed apud poetas», qui profecto

*ferre* dicit, quia improprie quandoque apud oratores, saepius autem apud poetas inuenitur. (5) Sed et ipsi poetae saepe, sicut oratores, *ne* imperatiuo praeponunt, Terentius (*Andr.* 348):

«Ne nega»;

Virgilius (*Aen.* 6, 544):

«Ne saeui, magna sacerdos»;

(6) Cato in prohemio (*Orat. Cat. Pr.* 38): «Maledictus ne esto», sed hic orator est habendus, cum prohemium hoc non metricum sed prosaicum profecto sit. Idem uero dicit in primo (1, 2):

«Plus uigila semper, ne somno deditus esto»,

et in III<sup>o</sup> (3, 10):

«Vtile consilium dominus ne despice serui».

(7) Hoc magis oratores faciunt, Liuius, libro II<sup>o</sup> (3, 2, 10): «Ne timete», et Quintilianus (1, 79): «Ne relinque».

[9] 208. Quamuis *non* imperatiuo in compositione iungatur, tamen tantummodo cum tribus uerbis componi reperitur, ut *nolo*, *nequeo* et *nescio*. In *nequeo* uero et *nescio* -o- mutatur in -e-, et non fit ex *ne* compositio. Non enim cum aliquo uerbo componi potest coniunctio. (2) Ceterum auctores frequentissime secunda persona imperatiui modi huius uerbi *nolo* utuntur, ut Cato, sed secunda horum uerborum *nequeo* et *nescio* perraro uel nunquam. Ideo illorum usum sequi te moneo, ut bene loqui latine uidearis, id quod in auctorum praeclarorum imitatione consistit.

[10] 209. Quattuor antedictorum modorum in iubendo consistentium uno ††, per futurum coniunctiui facto in affirmatione non utimur, ut *ne amaris*, quippe ipsum *amaris* duobus modis accipitur: uno subiunctiue, ut *si amaueris* uel *cum amaueris*; altero sine subiunctione. Ideo illud uerbum principale non est, hoc autem est, ut *si me iuueris*, *rem optimam feceris*; *dimitte me et diuitem feceris*, *eamus in portum iam naues uenerint*. (2) Sciendum tamen haec omnia uerba temporis futuri esse, ueluti si fiat ita commutatio: *si abstulero huic filiam meam*, *eum iugulauero*, non autem *iugulauerim*; *ego hic uidero*, *tu uideris*, *uos uideritis*, quasi *ego hoc uidebo* uel *uideam*, *tu uidebis* uel *uideas*.

[11] 210 regula, quod inter praeteritum perfectum et futurum subiunctiui sit differentia, siquidem negando prima, secunda, tertiaque persona praeteriti coniunctiui ualemus uti, ut *non amauerim*, *non amaueris*, *non amauerit*; sed uetando per *ne* duntaxat futuri eiusdem modi, ut *ne amaueris*, *ne amaueritis*, quod etiam *ne* prohibitium secundae personae imperatiui modi praeponi potest, ut *ne ama*, *ne amate*, *ne amato*, *ne amatote* et *non* negatiuum proprie non debet anteponi, ut dictum est. (2) Vnde Laurentius, libro III<sup>o</sup>, capitulo 33<sup>o</sup>, Quintiliani auctoritate, sic inquit: «Hic nos Quintilianus nos admonet, ne pro illa *ne feceris* dicamus, *non feceris*, quia alterum negandi est, alterum uetandi. Ideoque *ne* cum prima persona singularis numeri nunquam coniunctum inuenimus, ob eandem causam, propter quam imperatiuum caret prima persona in singulari, quia nemo sibi soli aut imperat aut uetat. (3) Vnde frequenter legimus *ne timuerimus*, *ne timeant*, nunquam autem *ne timeam*, nisi *ne prout et non*, sed *non timeam*, *non ausim*, *non sperem*, *non timuerim*, id est timere, audere, sperare non possum aut non debeo. Ita in aliis personis, ut *non spectes*, id est spectare non debes, sed uetando *ne me expectes*. Ita *non expectaueris* et *ne expectaueris*, quorum alterum praeteriti temporis est, negatque; alterum futuri, et uetat». (4) Laurentius Vallensis has quique regulas posteriores in libro 3<sup>o</sup>, capitulo 33<sup>o</sup> praelibatis, probat, supra, libro 2<sup>o</sup>, uersiculo *Iam ad materiam ipsius capituli 32* (2, 43, 1), cum Quintiliani auctoritate dixi.

[12] Consequenter ibi de lepore *si non* et *nisi* cum aliis tum uerbis, tum uero *mentior*, et ubi *nisi* quam et *praeter quam* deceant, et ubi est *praeter*, *praeterquam* habere locum disserui. Et de his Laurentius capitulo 33 praecipit.

[13] Posthac ego in § *Quoniam satis et plusquam satis* (2, 45, 1), de *alter* et *alius*, et de *alter* pro *secundo* et *duobus*, et *alius* pro *diuerso*, ita quod *unus* et *alius* de multis, *alter* uero de duobus, et *iterum* pro *bis* et *secunda uice uicibusque duabus*. Et quomodo differant *terium* et *quartum consul* et *ter quaterque consul*.

[14] Item in uersiculo *De quisque* (2, 46, 1) edoceo de *quisque* et *uterque* cum uerbo aut participio et *unusquisque*.

[15] Vltorius in uersiculo *De tamen* (2, 47, 1), de ipso *tamen* et *sed* cum relatiuo, et de *is* pro *talibus* et *id*. Et de *hic* pro *talibus* et *huiusmodi*, et *hoc*, id est huiusmodi res.

[16] Vltorius in uersiculo *Consequenter* (2, 48, 1), de *id quod* cum alio antecedente; et in uersiculo *Item de aliquis*, de ipso *aliquis*, *quisquam*, *quispiam*, *ullus*; et de differentia inter ipsa per Priscianum primo minoris, § *Et praeterea*, uersiculo *Inter aliquis et ullus*



[17] Praeterea in § *Posthac in eodem libro* (2, 49, 1), de *unus* et *solus* quod more superlatiuorum genitiuum regant etiamque ablatiuum cum prepositione *ex*, insuper accusatiuum *inter*, ut *unus* uel *solus omnium* uel *ex omnibus* uel *inter omnes*. Et *unus* pro *solus* inuenitur.

[18] Tandem in § *Tertia igitur* (2, 50, 1) de tertia quartaque declinatione pronominum et cur secundum Priscianum in 12<sup>o</sup> *nostrás* et *uestrás* a plurali tantummodo deriuentur. Et de *cuiás* et *cuiátis* secundum antiquos et de *cuius*, *-a*, *-um* possessiuo, et de omnium horum accentu accurate dico. De quibus omnibus hic breuiter epilogatis et resumtis hic regulas non expono, cum superius, in 4<sup>o</sup>, traditae fuerint, ut de demonstratione relationeque pronominum, quae materia est tertii, regulas copiosas ante oculos collocaui.

[19] Iam ad regulas ex ipsius Laurentii Vallensis *Elegantiiis* excerpendas redeundum puto.

### **Cl. Reditus ad regulas ex elegantiiis excerpendas.**

[1] 211 regula est: *uter* cum aliquo casu ex se cadente in eadem clausula recte constructur; *uterque* uero uix, saepe cum *alter*, *neuter* autem nullo modo, sed cum *alter* fieri debet constructio. Quod autem de *uter* dixi, de *quis* potest dici, ut *uter utrius miseretur*, *uter utri parcat*, *uter utrum accusat*, *uter utro abstinet*. (2) De *uterque* Terentius in *Phormione* dicit (800):

«Vterque utrique est cordi».

Cicero Quintilianusque per *alter* additum loqui solent. Nam Cicero dicit in prologo *De officiis* (1, 4): «Quorum *uterque* suo studio delectatus contempsit alterum». Quintilianus (1, 1, 14): «Cum enim *uterque* alteri obiiciat, palam est utrunque fecisse». Quod autem sic dicendum sit, per illum frequentissimum comprobatur: *alter alteri obiicit*, *alter alterum contemnit*, *alter alterum accusat*, *alter enim alterum*, non *ambo ambos accusant*. (3) Idem de *neuter* est dicendum. Idem enim Quintilianus ait: «Ita fiet, ut cum aequali cura linguam utranque tueri ceperimus, *neuter* alteri officiat». Qua de re peccauit Priscianus, qui libro II<sup>o</sup> ait (2, 60): «*Fiscina* uero a *fisco*, an *fiscus* a *fiscina*, an *neutrum* a *neutra* dubium est», debuerat dicere *an neutrum ab altero*. (4) Sicut autem *uter utri* dicitur, ita *quis cui*. Virgilius (*Aen.* 4, 371):

«Quae quibus anteferam?»

et Cicero (*Tusc.* 5, 28): «Quid cui praepoendum sit»; Quintilianus (11, 3, 25): «Quid quo loco collocandum sit». (5) Hoc a Laurentio, libro 3<sup>o</sup>, capitulo 34<sup>o</sup>, roboratur, et ad hoc facit quod supra, libro II<sup>o</sup>, § *Deinde Quintiliani sententia* (2, 11, 1), retuli, scilicet super differentiam inter *uter* et *utrum* ex una parte et *quis* et *quid* altera; et libro 4<sup>o</sup>, regula 56 et 64.

[2] 212. *Prior* personam dicit, id est *ego duorum prior*; *prior* autem aduerbium tempus significat, quasi prius quam nunc uel tunc. Idem de *posterior* et *posterior* aduerbio dici potest. *Prior* quoque et *posterior* de duobus dicuntur; *primus* autem et *postremus* seu *ultimus*, de multis. (2) Nam quando duo ad unum referuntur, ut *quia ego et hic te uocauimus*, est dicendum *nos te uocauimus*, sed *ego prior*, *hic autem posterior*. Idem fit si unus ad duos referatur: *te priorem uocaui* melius quam *prius*, *illum autem posteriorem*, melius quam *posterior*. (3) Eadem est ratio de passiuo, nam si duo estis, dicitur *uocatus a me prior es*, sine autem duo sumus, *a me priore uocatus es*. Eadem quoque superlatiuorum est doctrina, ut *primus* et *postremus* et si qua sunt alia: *uocaui te primus* uel *postremus*, si multi simus; *uocaui te primum postremum* ue, si multi fueritis. (4) Non nunquam ex neutra parte sunt duo, sed utrinque singuli, et tamen per hoc id comparatiuum fit locutio, ut *uocaui te prior*, *percussi te posterior*; supple *quam tu me*. Non nunquam hinc unus est, illinc plures, ut *amaui uos prior*, supple *quam uos me*; *uocauimus te priores*, supple *quam tu nos*. (5) Idem de superlatiuis dicas, ubi multa membra sunt, ut *primi nos legimus*, *uos posteriores*, *ille ultimus*; *primus ego pugnaui*, *tu senior*, *illi tardissimi*. (6) De his per Laurentium Vallensem, libro 3<sup>o</sup>, capitulo 35<sup>o</sup>, plene habes, et de eisdem item de omnibus constructionum elegantiiis antedictis in meo *Elegantiarum breuiaria*, in praelibatis locis, scripsi, ubi in ipso 35 tertii libri capitulo addidi: «Itidem de *superior* et *superius* dici posse, ut enim *posterior* de duobus et *postremus* de multis dicitur instar *prior primusque*, sic et *superior* de duobus, ut *superior Africanus* uel *Dionysius* de maiore natu, et *supremus* de multis debet intelligi».

[3] Et ibi de *primigenius* et *primogenitus* et *primigena* pro *primogenita* Nam, teste ipso Laurentio in suo *Antidoto*, libro primo (1, 9, 10), super textu *Allonsi primigeni*: «*Primigenius* est latine, quem uulgo *primogenitum* dicimus, qui ex duobus filiis maior, ex multis maximus natu, ex utrisque qui alios liberos uel fratres aetate antecedit, per circumitionem dici potest. (2) Nam Varro (*Ling. Lat.* 6, 37) *primigenia* uerba primariae impositionis et a nullo deriuata appellat, a quo *primigenius* pro *primogenitus* possumus mutuari. Ad hoc Liuius libro XXXIX<sup>o</sup>, circa finem (29, 36): "Consul principio pugnae aedem Fortunae

Primigeniae uouit", et libro 34<sup>o</sup> ait (34, 53, 5): "C. Scribonius et C. Domicius, qui praetor urbanus eam dedicauit, et aedem Fortunae Primigeniae in colle Quirinali dedicauit, Q. Martius duumuir ad id ipsum creatus". (3) De hac ipsa Fortuna inquit Cicero *De legibus* (2, 28): "Vel *primigeniam* a *gignendo*. Estne haec significatio idem quod primitiua et primariae positionis et a nullo deriuata a nulloque genita, an idem quod *primogenita*". Item Festus Pompeius exponit (303): "Primigenius sulcus dicitur, qui in noua urbe condenda tauro et uacca designationis causa imprimitur". (4) Verum cum ratio *primigenitus*, ut *primipilus*, *armiger*, *penniger*, *lucifer*, *sonipes*, postulet, et composita cum uerbis, non participia desiderent, ut *caelicola*, *publicola*, *agricola*, non *caelicolens*, *agricolens*, *publicolens*. Item *phebigena* non *phebigenitus*, *nubigena* non *nubigenitus*, *alienigena* non *alienigenitus*, *indigena* non *indigenitus*, et sic dure componereur *primigenitus*». (5) *Primogenitus* uidetur potius non componi et nomina duo esse, ut ipse Laurentius in suo *Antidota*, ubi supra, plene docet. Verumenimvero si nobis aliqua imponendi praeberetur auctoritas, pro primo genito *primigenam* instar *uerbigenae*, *nubigenae*, *phebigenae*, *alienigenae* diceremus.

[4] 213. Verba ad accusationem, damnationem commonitionemque notantia post se nomina criminalia penaliaque in genitio ablatiuoque reposcunt, sed *alter*, *uterque*, *neuter* amboque in ablatiuo tantum. Laurentius enim Vallensis, libro III<sup>o</sup>, capitulo 36, de regimine nominum criminalium penaliuque sic inquit: «Si quis furetur rem sacram de prophano, tenetur ne sacrilegii an futri an utroque? Non autem *an utriusque*? Accusare hunc potes uel *furti* uel *sarilegii* uel *de utroque* uel *de ambobus*, non autem *utriusque* aut *amborum*. (2) Condemnare non licet *de utroque* sed *de altero* uel *furti* uel *sacrilegii*, non autem sed *alterius* uel *furti* uel *sacrilegii*. Cur ita fit, ut demus uarios casus eidem uerbo, praesertim sub coniunctionibus quae eosdem casus debent coniungere? Nempe quod nomina peccatorum cum huiusmodi uerbis idem ualent in genitio quod in ablatiuo praepositionem habente uel non habente. Non item in ceteris. (3) Neque hoc in iis modo nominibus, quae certum peccatum significant et spatiale, sed in his etiam quae generalem et incertum, ut Cicero (*Rab. Perd.* 26): "An non intelligis primum, quos homines et quales uiros mortuos summi criminis arguas". Per haec uerba licebit *tanti* et *quanti*, cum substantiuis adiunguntur, per genitium uti, ut *quantae pecuniae condemnastis?* *Tantae summae damnaui,* *quantae postulasti*».

[5] Nomina secundum 214 regulam et uerba participiaque plenitudinem inopiamque significantia genitium et ablatiuum sine praepositione regunt, ut *plenus gratiae et ueritatis*, *egeo pecunia* uel *pecunia*; sed *careo* solum ablatiuum regit, *repletus scientiae et uirtute*. (2) *Doctrinale* in VIII<sup>o</sup>, in ablatiuo regimine (8. 1.338-42):

«*Plenus, inops* casu dant istu siue secundum  
*Vini* uel *uino* duo *dolia plena* uideto,  
*Pauper, egenus, inops* uino uel *panis egebit*.  
*Dignor* cum *potior, fungor, uescor, fruor, utor*.  
 Et *careo* iungo casu tantummodo sexto».

(3) *Careo* uero secundum *Catholicon* est non habeo, et corripit *-ca-*, sed *charus* cum aspiratione, unde denominatur *charitas* pro amor et delectione, cum *-ch-* aspirato ueniens a *chari*, quod est gratia et amor, cum *charitas* amoris sit species pro rerum dignitate et personarum qualitate, et *carus* sine aspiratione, unde aluit *caritas* fluente *careo*, significatque inopia, quod uili opponitur secundum Tortellum, et textus in *l. Precia rerum, § fi. Ad leg. Fal., ff.*, facit (D. 35, 2, 6), primam productam habent (4) Laurentius autem Vallensis, libro V<sup>o</sup>, capitulo LXXXV, dicit: «*Careo* uero est uacare, quibus indiges significauit Cicero cum inquit (*De sen.* 47): "Saciatis uero et expletis iocundius est carere quam frui, quanquam non caret is qui non desiderat". Improprie tamen dicimus *careo culpa*, *cares periculo*, *cares damno*». (5) Nicolaus uero Perottus ait (fol. g5r.): «*Careo* et *indigeo* differunt, quia non indigemus omnibus, quibus caremus, ut puta caremus multitudine seruorum, qua non indigemus. Omnibus autem quibus indigemus, caremus, quia si non careremus, non indigemus». (6) Ad hoc Priscianus 2<sup>o</sup> minoris, § *Illa quoque*, carta VI, ibi (18, 63): «*Vacuuus cerebro, mente aptus*. Est tamen inuenire in his quoque quaedam auctoritate ueterum genitiuis coniuncta». (7) Petrus Heliae, 2<sup>o</sup> minoris, ubi de ablatiue condicione docet, carta V, dicit (Reilly 1.028): «Item nominatiuis habens passiuam significationem exigit ablatiuum, ut *plenus gratia, dignus laude*. Haec tamen eadem auctoritate ueterum genitiuis sociantur, ut *plenus gratia et ueritatis*». (8) Laurentius autem Vallensis, libro 3<sup>o</sup>, capitulo 37, de *implea, refertio, plenusque ac refertus*, adiicit: «Tamen aliquando de

praepositionem adiungimus: *ciuitatem de omni genere annonae<sup>5</sup> impleui*, et *taberna de uario uinorum natura refersi*. Vixque proferre ausim *impleui omni genere annonae* et *refersi uaria natura uinorum*. (9) Non enim ciuitas omni genere annonae est impleta, sed de generis annona omnibus; nec taberna referta est uaria uinorum natura, sed de omnis naturae uino. Haec ablatiuum postulant, ut *uacuatus* et *uacuis*. Cicero tamen *Pro lege Manilia* ait (*Leg. Man.* 31): "Referto praedonum mari", sed nunc in nomen transtulit. (10) Tametsi cetera huiusmodi nomina ablatiuum semper habent, ut *uacuis incolis* non *incolarum*; *frequens populis*, non *populorum*; praeterquam *plenus*, cui Cicero semper genitiuum dedit. Ceteri auctores etiam suae aetatis ablatiuum quoque dederunt, suo itaque arbitrio scriptores utuntur. Posteriores uero omnes, ut hoc nomen *nouissimum* pro *ultimo*, ita etiam *plenus uino* dixerunt, non solum *plenus uini*. (11) Quare qui solo genitiuo contentus erit, Ciceronem imitabitur, qui utroque casu utetur, ceteros. Sed in utendo uenustatis et lucis rationem habebit. Quod uel ex proximo exemplo ostenditur: *aeue gratia plena*, nam ad amphibologiam fugiendam *aeue gratia plena* uenustatis dictum esset, sicut in alio factum est, ubi non erat ambiguitas: *plenum gratiae et ueritatis*. (12) Liuius, ut nomini *plenus* dat etiam ablatiuum, ita uerbo *impleo* dat etiam genitiuum, ut in V<sup>o</sup> (5, 28, 4): "Ipse multitudinem quoque, quae ferme semper regenti est similis, religionis iustae impleuit".» (13) Ad haec roborandam Nicolaus Perottus, de uerbis neutris potest adduci, sic inquit (fol. g4u.): «Quae sunt uerba neutra secundi ordinis? Quae dicuntur possessiua et exigunt nominatiuum ante se, et post se ablatiuum sine praepositione, ut *Pyrrhus abundat libris*. *Egegeo*, *indigeo*, *careo*, *abundo*, *affluo*, *exubero*, *satago*, *memini*. (14) Quae sunt ex his quae et genitiuo iunguntur? *Egegeo*, *indigeo*, *satago*, ut Terentius (*Heaut.* 225):

"Hic satagit rerum suarum",

id est anxius et curiosus est rerum suarum.

*Memini huius ordinis*. Neutrum est licet in -o non desinat et tamen iungitur aliquando accusatiuo, Virgilius (*Aen.* 1, 203):

"Forsan et haec olim meminisse iuuabit";

aliquando etiam iungitur ablatiuo mediante praepositione *de* (15) Sed quando accusatiuo et genitiuo iungitur, significat recordari, ut *non memini hanc rem* uel *huius rei*, hoc est non recordor. Quando autem iungitur ablatiuo cum praepositione uel interdum genitiuo, significat mentionem facere, ut Priscianus (18, 160): "*Non meminit de hac re uel huius rei*, hoc est mentionem non fecit". (16) *Abundo* et *affluo* possunt esse etiam possessiua. Dicimus enim *ego abundo et affluo rebus omnibus* et *res omnes abundant et affluunt mihi*. Differentiam inter *careo* et *indigeo*, supra, in hac regula exposui.

[6] 215. *Dignor* et *dignus*, *potior*, *fungor*, *uescor*, *fruo* et *careo* cum ablatiuo solummodo construuntur, ut in proxima regula secundum *Doctrinale* constat. Enimuero secundum Priscianum (18, 39), Papiam et *Catholicon*: «*Dignor*, -aris, -atus sum est dignum iudicare, dignum habere; unde *dignus*, -a, -um et comparatur; unde *haec dignitas* et *dignosus*, -a, -um, id est dignus. (2) *Dignus* componitur *indignus*, -a, -um et comparatur. *Dignor* componitur *dedignor*, -aris et *indignor*, -aris, id est irasci. Et est deponens cum omnibus suis compositis. Et *dignor* cum accusatiuo, ablatiuo genitiuoque construitur, sed *dignus* cum ablatiuo genitiuoque. Et *dignum* aequum, congruum et competens dicitur». (3) Priscianus de *dignor* et *dignans* dicit in XI<sup>o</sup> (11, 4): «*Dignor te illa re, dignans te illa re*. Idem 2<sup>o</sup> minoris, carta VI, § *Illa quoque nomina*, sic ait (18, 31): «*Illa quoque nomina quae uim passiuam habent, ablatiuo iunguntur, ut lassus labore, fesus cursu, cassus lumine*, quod et participium potest esse. Virgilius in VI<sup>o</sup> (*Aen.* 6, 285):

"Dimisere neci nec cassum lumine lugent".

Hic sine dubio nomen est; *cassa fraude parat*. (4) Et infra: «Iuuenalis in III<sup>o</sup> (3, 8, 85):

"Dignus morte perit".

*Vacuis cerebro, mente captus*. Est tam inuenire in his quoque quaedam auctoritate ueterum genitiuis coniuncta. Virgilius in XII (*Aen.* 12, 649):

"Magnorum aut usquam indignus auorum".»

[7] De *potior*, idem Priscianus in eodem 2<sup>o</sup> minoris, ultra medium, § *Infinita uero uerbi*, sic inquit (18, 163): «*Infinita uero uerbi sui constructionem ad casus seruant, ut misereor tui, misereri tui uolo; nocere tibi, nocere tibi uolo; accuso te; accusare te uolo; potior illa re, illius rei et illa, potiri illam et illius etiam illa re uolo*. (2) Similiter eisdem casibus participalia uel supina, quae uim infinitiuorum habent, quae cum articulis

<sup>5</sup> *Glossa Annona*, -ae, seges unius anni, ab anno dicitur, quasi annonatim, quia singulis annis renouetur. Vel secundum Papiam est alimonia, alimenti copia. Tractum est a tempore quo Romani ad cibos uocabantur. *Catholicon* et *Compraeensorium*.

construuntur apud Graecos, *miserendi est tui, misertum tui uenio, misertum tui doleo, et cetera*». (3) Petrus Heliae circa XIII finem ait (Reilly 1.034): «Sciendum est quod et *potior illius rei et illa re et illam rem* dicitur, sed frequentius tamen *potior illa re*». (4) *Catholicon* inquit: «*Potior, -iris* dicitur a *potis* nomine, et est *potiri* frui, uti; et construitur cum genitiuo, accusatiuo, ablatiui, ut *potior illius rei, illam rem* uel *illa re* Et inuenitur secundum antiquis secundum tertiam et quartam coniugationem *potior, poteris* et *potiris*, sed in infinitiui semper secundum quartam inuenitur *potiri*. (5) Supinum in *-itum* desinit, *potitum*; penultimam producit in *potitus, -a, -um*, secundum dicit Priscianus. Apud tamen modernos est tantum quartae coniugationis. Item *potior* est comparatiuum de *potis* secundum uocem, quia significatio mutatur, ut in *habetur*». (6) Egidius in libro *De accentu*, capitulo 26, in *-i* ante *-t-*, uersiculo *Est etiam diligentissime annotandum*, dicit quod «Participia horum uerborum *morior, orior* et *potior* indifferenter in prosa et in metro ponuntur pro uoluntate legentis, ut dicatur *móritur* uel *moritur, óritur* uel *oritur, pótitur* uel *potitur*, producta penultima uel correpta. Et similiter de *potitus*. Et hoc patet per Priscianum in principio X (10, 10), ubi dicit quod possunt declinari per tertiam et quartam coniugationem». (7) Idem Egidius de *potitur* et *potitus* in additionibus per Luciliium Virgiliique confirmat. Ego uero *Catholicon* tenendum suadeo, quod ait quod modernos tantum quartae coniugationis esse.

[8] Nec ueram latinitatem elegantiamque scientes praetermitendi sunt. Seruius enim ait: «*Potiri* enim est non modo in usu aliquid habere, uerum etiam in potestatem locum aut quippiam redigere». (2) Salustius in *Catilinario* (47, 2): «Ex libris Sibillinis regnum Romae tribus Corneliis portendi Syllam atque Cinnam ante se tertium esse, cui fatum foret urbis potiri». (3) Nonius (481): «*Potior illam rem* pro *illa re, potior gaudia*. Lucretius in III<sup>o</sup> (3, 1.037):

"Vnus Homerus

Sceptra potitur";

Pacuius in *Athalanta* (56):

"Regi ut memorabis nunc regnum potitur promissu patris".»

(4) Laurentius Vallensis libro 3<sup>o</sup>, capitulo 38, de *potior, potitus* et *compos* ait: «*Potior* genitiuum et ablatiui habere potest, sed cum ceteris ablatiui frequentius, cum hoc nomine *res* fere semper genitiuum, ut *Lacedemonii rerum diu potiti sunt*, id est rerum imperium diu tenuerunt. (5). In aliis nominibus magis significatio per *obtinuerunt*, quam per *tenuerunt* exponitur, ut *potitus sum uictoria, sum potitus amica*, id est pugnando uel laborando obtinui uictoriam uel amicam. In praesenti tempore plerunque pro *fruor, potitur* pro *potitus est*, praesertim more historico legimus. *Potior* a *potis* descendit, ideoque illi in significatione simillimum est. (6) Nam *sum compos mentis, compos animi, compos rationis, compos sanitatis*, quod haec habeo. At *compos uotis, compos uictoriae, compos optati*, quod haec opera mea atque labore obtinui obtineoque. Illud tamen sciendum apud Ouidium in XII<sup>o</sup> sic legendum (*Met.* 13, 130):

"Tuque tuis armis, nos te poteremur, Achille",

non *potiremur*, antepenultima breui, non longa, a tertia scilicet non a quarta coniugatione». (7) Nicolaus Perottus in deponentibus primi ordinis ait (*Gram.* fol. h5u.): «*Potior, potiris* uel *poteris*, cum secundo, quarto et sexto casu iunguntur. Et esse potest tertiae et quartae coniugationis, ut *orior, morior*, sed infinitiui facit *mori* secundum tertiam et *oriri* et *potiri* secundum quartam coniugationem».

[9] *Fruor, -eris* secundum *Catholicon*: «*Fruitum, -tu* et *fructum, -tu* in supinis facit, *fruitum, fruiturus, -a, -um* probat, et *fructum fruscus, -us, -ui, fruor*, id est utor. Differunt tamen quia fruimus rebus quibus utimur, propter illas, sed utimur iis quibus utimur propter nos. Est enim frui re aliqua ei propter se inherere eamque diligere; fruimus ergo deo, utimur mundo et creatis in eo. (2) Vnde Augustinus (*Doctr.* 1, 3-ss.): "Vtendum est hoc mundo, non fruendum, ut inuisibilia dei, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciantur". Infra: "Vt de temporalibus aeterna capiantur. Item fruimus quodam modo caelestibus uirtutibus, scientia; utimur mundanis, diuiciis, cibis, uestibus et similibus. Fungimur autem officio". (3) Vnde dicitur autem sicut obiecto et hoc modo solo deo fruendum est, quia ad solius dei bonitatem tota uniuersi bonitas ordinatur, sicut totius exercitus bonum ad bonum ducis, ut in XI<sup>o</sup> dicitur *Metaphysicae* (*Trin.* 10, 10): "Alio modo sicut habitu eliciendi fruitionis actum, et hoc modo beatitudine creata et charitate fruendum est. Tertio modo fruimus aliquo, sicut fruitionis instrumento, et hoc modo potentia fruimur, cuius fruitio actus est". (4) *Fruor* componitur *confruor, -eris*, id est simul frui. Item *defruor, -eris*, id est ualde frui uel a fruitione cessare, et *perfruor*, id est perfecte frui. *Fruor* et eius composita omnia sunt deponentia, et supina in *fruitum* uel *fructum*, sed frequentius in *fruitum* faciunt. Vnde haec participia *fruitus* et *fruiturus* saepius quam *fructus* et *fructurus* inuenitur in usu. Haec enim in usu deest, sicut supinum a quo descendunt. Et a *fruitu* formatur *fruitio*. *Compraensorium* haec refert breuius. (5) Augustinus in libro *De*

*doctrina Christiana*, et in X<sup>o</sup> *De trinitate*, inter *frui* et *uti* differentiam faciens et explicans, quod aliae sunt res quibus fruendum est, aliae quibus utendum, aliae quae utrunque et fruuntur, haec ipsa copiose declarat. De quibus per Sententiarum Magistrum, libro I, distinctione I, capitulo II usque ad distinctionis finem.

[10] Iam quippiam super hac re de ornatis dicatur auctoribus, quid praecipiant. Sane Priscianus in X<sup>o</sup>, 3<sup>a</sup> carta, dicit (10, 13): «*Fruor* uero *fructum* facit, sicut *struo structum*. Cicero in *Hortensio* (fr. 70): "Et amenitate summa perfructus est". Vlpianus tamen *Ad Sabinum, futurum fruiturum* dixit, non *fructurum*, quomodo *ortum oriturum, erutum eruiturum, mortuum, moriturum*, quae cum in praeterito non habeant *-i*, in futuro habent. (2) Ideo mirandum non est si *Doctrinale* in capitulo V fine *fructus fruitusque* ponat (5, 940) :

«*Gressus, commnetus, fructus, fruitusque profectus*».

Et uocabulisticae dicant: «*Fruor, -eris, fructus* uel *fruitus sum* uel *fui, fructum, -tu* uel *fruitum, -tu*. Nam *fructus* supinum *fructum* et *fruiturus fruitum* supinum probat». (3) Laurentius Vallensis libro V<sup>o</sup>, capitulo V<sup>o</sup>, mire sic de *utor, fruor* et *fungor* ait: «*Vtor* et *fruor* aperte differunt, sed non ea ratione qua quidam uolunt, omnia sua imperitia confundentes, qui aiunt uti nos humanis, *frui* uero diuinis. Immo et diuinis utimur et humanis fruimur. Quis enim mihi usu diuinorum indicat? Quis rursus uetet me *frui* rebus meis labore et industria paratis? Aut quis dicat me *frui* sacris, cum in illorum uersor usu atque administratione? Vel quis neget, cum uoluptati operam do, *frui* me his rebus unde capio uoluptatem? (4) Sed hos cum sua imperitia et, quod foedius est, cum sua pertinacia relinquamus. *Vti* igitur est alterius rei gratia, *frui* nullius, sed, ut sic dicam, propter se. In illo iter est, in hoc meta; hoc alterius finis ad quem illud tendit. Qui hoc habet, quiescit et contentus est; qui utitur, nunquam contentus est semperque ulterius tendit. Ideoque reprehensus est Hannibal, quod cum posset uti Cannensi uictoria *frui* maluit. (5) *Vtor* armis, *utor* domo, *utor* libris, *utor* studio, diligentia, opera, quod ex hoc postea emolumentum aliquid bonique consequar. *Fruor* tuo aspectu, tuo alloquio, tuo canto. Hoc est delectationem uoluptatemque percipio ex hac re atque ex huius rei usu. Dicimus tamen non nunquam *utimur* pro *fruimur* uerecundiae cuiusdam causa, ut *utor pane triticeo, utor palmulis, utor ficis*, quasi uiuendi potius causa edamus, quam edendi causa uiuamus. Denique *frui* est delectatione capere ex utendo. Itaque in idem recidunt idemque efficiunt *frui, delectari, uoluptatem capere* (6) Quo fit, ut non fuerit causa, cur recentiores hoc uocabulum, unde uenit *fruitio*, solis rebus diuinis dare uoluerint. Habet enim hoc uerbum duo supina: *fruitum* et *fretum*, quorum primum uix in usu, secundum significat confusus, ut *fretus fortasse familiaritatis*». (7) Haec quoque dico in meo *Elegantiarum breuiario*, ubi hic addo: «Apud T. Liuium, libro X<sup>o</sup> *Ab urbe condita*, capitulo 2<sup>o</sup> (10, 5, 5), inueni *fretum* cum datiuo constructum: "Ceterum satis *fretum* esse et nunc tolerando certamini legatum".» Consequenter dictum Prisciani super *fruor* in X<sup>o</sup>, carta 3<sup>a</sup> (10, 13), secundum praedicta adiungo. (8) Nec praetereas quod in hoc V<sup>o</sup> capitulo Laurentius (*Eleg* 5, 5) et ego de *utor fungor*que addicimus: «Adiungimus autem alterum uerbum etiam ad personam, de *utor* dico, significatque conuersor et opera tua *utor*. Et inde fit *usus fuit mihi tecum*, id est conuersatio, familiaritas, consuetudo. Atque quia solemus aliqua re immo uti, ut ex ea *fructum* percipiamus, factum est ut dicamus *usum* pro *utilitate* et *fructum* tam in plurali quam in singulari. (9) *Fungor* autem idem est quod officium munusque ago, ut *fungor magistratu, fungor praetura, fungor legatione*. *Fungor* uero *uita*, id est officio uitae et munere administrandi gubernandique corpus, inde *defunctus est uita*, id est finit officium uitae. Legimus etiam *defunctus morte*, id est mortem finit». (10) Haec quasi Nicolaus Perottus in deponentibus primi ordinis sic confirmat (*Gram.* fol. h5u.): «*Vtor* et *fruor* differunt, nam *frui* est cum delectatione uti. Vnde theologi *frui* transferunt duntaxat ad res diuinas, et peccatum dicunt esse si quis uel utatur rebus diuinis uel fruatur humanis. Scriptores tamen utuntur hoc uerbo etiam in rebus humanis. Quotiens non necessitate sed delectatione utimur. Verbi gratia, si amici patrocinio in aliqua causa agemus, dicimus uti amicitia illius. (11) Si uero nulla causa intercedente ex amici consuetudine sermone, aspectu, praesentia uoluptatem capimus, *frui* dicimus amicitia illius. Hinc dicitur *fructus* et ex utroque uerbum compositum *ususfructus*. *Fruor* enim supinum facit *fructum*, ut Ciceri in *Hortensio*: "Et amenitate summa perfructus".» Vlpianus tamen *Ad Sabinum fruiturum* dixit, non *fructurum*, quemadmodum ad *ortum oriturum* dicimus, non *orturum*, a *parto pariturum*, non *parturum*, ab *erutum eruiturum*, non *eruturum* (12) Haec omnia, praesertim super *fruor* et *utor* noua sunt, et a Laurentio subtiliter excogitata, tamen in reprehensione Augustini aliorumque maximorum theologorum *frui* diuinis utique humanis ascribentium, cum iniectione quadam ipsum Laurentium probare non possum. (13) Illi nanque non dicunt quod *frui* de solis diuinis, *uti* uero de solis humanis dici possit, sed intelligunt quod potissimum proprieque *frui* dicatur de diuinis et *uti* de humanis. Nec immerito, nam proprie significationes his duobus uerbis, hic ab illo datae, potissimum et

proprie in diuinis et humanis seiunctim uerificari possunt. (14) Cum enim secundum eum *uti* sit alterius rei gratia et ad iter uiamque spectet ulteriusque desideret, *frui* uero nullius respectu sit, sed, ut ita dicatur, propter se et ad metam, finem, quietem contentationemque pertineat, et *frui* quoque sit delectationem uoluptatemque ex utendo capere, quis dubitat quin potissimum proprieque dicatur *frui* de diuinis, ubi saltem in deo finis et meta sit nulliusque respectus, sed ibi sit quies, summa contentatio, delectatio et uoluptas? Et *uti* de humanis, quae propter diuina tractamus et in quibus et iter et uia ad diuinorum finem et ulterior sit progressus? (15) Nec illi dicunt, ut refert Laurentius, hoc uerbum *frui* solis rebus diuinis dandum esse, nam et aliis rebus attribuunt, ut in Augustino aliisque theologis etiamque Ioannem de Balbis in suo *Catholicon* uideri potest, et supra, in hac regula in desumptis ab eo scripsi, et supra, secundum Augustinum Sententiarumque Magistrum, libro 3<sup>o</sup> (3, 37, 3), inter ipsius Magistri exempla, uersiculo *Idem in eadem, capitulo II<sup>o</sup>*, usque ad uersiculum *Idem in capitulo I distinctionis secundae*.

[11] Nec praeterendum est quod Aulus Gellius (15, 13, 1), referente in *utor Alfonsina*, dicit: «*Vtor, uereor, hortor, consolor* communia uerba sunt, et dici utroque modo uersus possunt: *uereor te* et *uereor a te*, *utor teet* *utor abs te*, id est tu me uteris, *hortor te* et *hortor abs te*, *consolor te* et *consolor abs te*, id est tu me consolaris. *Testor* quoque et *interpretor* significatione reciproca dicuntur. (2) Sunt autem uerba haec omnia ex altera parte inusitata, et an dicta sint in eam quoque partem, quaeri solet. Afranius in *Consobrinis* (33-34):

"Henusto parentum est uitabilis liberis,  
ubi malunt metui quam uereri a suis".

Hic *uereri* ex ea parte dictum est quae non est usitatio. Idem in *Litagarta (Lignaria)* 43):

"Suppellex quae non utitur emittitur",

id est quae usui non est». (3) Et infra: «Eadem ratione dixit M. Tullius, libro primo *De diuinatione* (?): "Vt *testor, interpretor*, quae uerba communia uideri debeant". Salustius quoque eodem modo (*Hist.* 1, 49):

"Dilargitis proscriptorum bonis", tanquam uerbum *largior* sit e uerbis communibus. (4) *Veritum* fieri sicut *puditum* et *pigitum* non personaliter per infinitum modum dictum esse non a uetustioribus tantum, sed a M. quoque Tullio, in 2<sup>o</sup> *De finibus* (2, 39, 5): "Primum inquit, Aristippi, Cyrinaei eorumque omnium quos non est ueritum in ea uoluptate quae maxima dulcedine sensum mouetur, summum bonum ponere." (5) *Dignor* quoque et *ueneror* et *confiteor* et *testor* habita sunt in uerbis communibus, sicut in Virgilio illa dicta sunt (*Aen.* 3, 475):

"Coniugio Anchisa Veneris dignate superbo",  
et (*Aen.* 3, 460)

"Cursusque dabit uenerata sacerdos",  
confessi autem aeris, de quo confessio facta est. In *XII Tabulis* scriptum est in his uerbis (*Tab.* 3): "Aeris confessi rebusque iudicatis XXX iusti sunt".»

## **CII. De traicio, do, refero.**

[1] 216. *Traicio* ex *trans iacio*que componitur, et *traiecti, traiectum* facit, et cum duplici *-i-* debet scribi, nam in *trans* Priscianus XIII<sup>o</sup> (14, 28) dicit quod «Si cum dictione cum *-d-* uel *-n-* uel *-i-* consonante componatur *-ns-* reicitur, ut *trado, traicio, trano*». Vnde uersus:

«Si componatur *trans* littera nulla mouetur:

*Trano, traicio, trado, traduco* remotis».

(2) «Et est *traicere* ultra iacere uel perforare uel transigere, unde *traiectus, -a, -um*. *Traiecti* addita *-o-* fit *traiectio*, id est ultra iactio, et ponitur pro mercium transportatione. *Eclesiastici*, capitulo 37<sup>o</sup> (37, 12): "Cum neciatore de traiectione, cum emptore de uenditione tracta"». Haec Papias, *Catholicon* et *Compraensorium* attestantur.

[2] Laurentius uero Vallensis libro 3<sup>o</sup>, capitulo 39, sic inquit: «*Traicio exercitum*, id est transporto exercitum trans mare aut trans flumen; *traicio mare* uel *flumen*, id est transeo. Aliquando utrunque coniunctim, ut Liuius (21, 23, 1): "Traiecit copias Hiberum"». (2) Haec in meo *Elegantiarum breuiario* sic adiungo: «*Traicio* etiam quandoque absolute reperitur, et suppleas *exercitum* uel *dassem* uel *me*; etiamque non nunquam *mare* uel *fluuium*, ut apud Liuium multis in locis legimus, id quod de *transmitto transferaque* dici potest».

[3] 217. *Do, das, dedi, datum, dare* penultima correpta, id est dono, trado, concedo, partior. Vnde hic *dator, -oris, datus, -a, -um, haec datio, -onis* et *hoc datum, -ti*. Multaque tenet composita tertiae coniugatur,

praeter *passundo*, *circundo* et *uenundo*, quae primae sunt. De quibus plene *Catholicon* aperit. *Do*, *das* secundum Seruium: «Id est dico. Virgilius in *Bucolicis* (1, 18):

"Sed tamen iste deus quis sit, da Tytore nobis".

[4] Laurentius Vallensis, libro 3<sup>o</sup>, capitulo XL, de *do tibi* et *ad te litteras* sic ait: «*Do tibi litteras* tanquam tabellario, *do ad te litteras*, scilicet ad te perferendas. Aliquando haec duo coniunguntur, ut Cicero (*Att.* 4, 4, 1): "Dedi illi ad te litteras". Et Salustius (*Cat.* 44, 4): "Vulturcio litteras ad Catilinam dat". Ergo qui mittit litteras, dat. Cui litterae dantur, si perfert, *reddere* dicitur. Sicut ille ad quem dantur, *acciperet*».

[5] In tali libro et capitulo *Breuiarii* mei adiicio: «Idem Nicolaus Perottus ait, qui paulo post adiicit: "Verbum actiuum post accusatiuum duos datiuo habere potest, ut *do*, *das*, ut *do uirginem dono tibi*, *dedi filiae tuae talentum doti*".»

[6] Hic etiam adiiciendum puto *dono*, *-as*, *-aui*, *-are*, *atum*, id est dona tribuere, remunerare, honorare. Et a *dare* differt quia *dare* cum spe remunerationis est, *donare* uero sine tali spe. *Donare* nanque est quamlibet rem transfigere, unde et *donum* dicitur cuiuslibet rei transactio. Itaque *donare* dicitur quasi donum agere, et *donatio*, quasi doni actio. Vnde Aristoteles 3<sup>o</sup> *Topicorum* dicit quod donatio genus doni est, donum uero est irredibilis datio. Ecce uult quod donum datio sit, sed non econuerso. (2) *Donum* uero differt a *munere*. Debetur enim *donum* deo, *munus* uero homini. Item *donum* honorarium est, *munus* autem debitum, ut patrono. Nam proprie *munera* dicuntur obsequia, quae pauperes diuitibus loco donorum soluant. Sic dicta, quia manibus accipiuntur aut dantur. (3) Insuper *donum* dantis est a dando uel donando, *munus* autem accipientis a manibus uel muniendo uel mouendo. *Da*que *donum* producit. Ouidius *De arte amandi* (3, 654):

«Placatur donis Iupiter ipse datis».

*Dono* componitur, *condono*, *-as*, simul donare, remittere; *redono* est iterum dono. *Dono* eiusque composita sunt actiua *doque* producant. De hoc per *Catholicon* in *dono* et *donum*, et in uerbo *spiritus sanctus*, et quare uni omnia dona non dantur, in *uirtus* explicat, et in *prius*. (4) «*Dono* autem licet in accusatiuo rem donatam et in datiuo eum cui donatur, petat, ut *dono tibi seruum*, tamen more Attico donatarium in accusatiuo, donum in ablatiuo admittit, ut *dono te seruo*. Virgilius in V<sup>o</sup> (*Aen.* 5, 282):

"Sergestum Aeneas promisso munere donat",

Priscianus ait 2<sup>o</sup> minoris, post medium, in § *Sunt tamen tam ex neutralibus quam ex actiuis quaedam*.

(5) Hoc Laurentius, libro 3<sup>o</sup>, capitulo 47<sup>o</sup>, copiosius explicat: «*Dono tibi munus*, notum est quid significet, *dono te munere* plerumque praemii gratia, sed interdum admirationis, interdum beniuolentiae, interdum misericordiae». Vide hic omnino.

[7] 218. «*Ad* et *in* idem significant, ut *eo ad uillam* et *in uillam*, *proficiscor ad uineam* et *in uineam*, *tendo ad pugnam* et *in pugnam*, *confero me in curiam* et *ad curiam*. Hoc tamen uerbum *confero* excipitur, quia in personam confertur, tunc enim *ad* et non *in* debemus uti, ut *confero me ad Catonem* et non *in Catonem*, ad distinguendum uidelicet significationem, nam cum dico *contuli in personam*, non potes alteram personam dare uelut me, sed rem uelut beneficium, eritque significatio donationis, ut *multa contuli in Catonem*, id est multa donauit Catoni», ut Laurentius eodem libro 3<sup>o</sup>, capitulo 41<sup>o</sup>, edocet.

[8] 219. *Refero* et *refert* diuersa significantia habent, ut supra in hoc libro, uersiculo *Duo sunt, ut interest et refert*, in 27 doctrina, dixi. Quibus adiiciatur quod idem Laurentius in capitulo sequenti dicit: «*Retulit mihi* et *retulit ad me* ita differunt: illud est narrauit; hoc uero in consultationem tulit. Aliquando pro *reportauit*, et hic accusatiuus uel nominatiuus adhiberi solet. Crebro in prosa, praesertim ablatiuus cum praepositine *de*, ut *de his omnibus referam ad senatum*, omnia autem *haec referam ad senatum* rarius dicitur, tamen significat idem quod est *in senatorum consilium referam*.»

[9] Nec elegantias tum uetustiorum auctorum super *refero* possum omittere. Nonius enim scribit (381): «*Referre*, ascribere. Virgilius in *Bucolicis* (6, 85):

"Cogere, donec oues stabulis numerumque referre  
Iussit".

*Referre*, ascribere. Varro in *Eumenidibus* (147):

"Forenses decernunt, ut existimatio nomen meum  
in sanorum numerum referat".

(2) Item *referre*, proferre, indicare. Virgilius in II *Aeneidos* (2, 547-48):

"Referes ergo haec et inertius ibis  
Pelidae genitori".

*Referre*, ostendere. Lucilius, libro I<sup>o</sup> (Lucr. 1, 75):

"Quae possit ordiri, quis nequeat, referat unde".

Deinde *referre*, reuocare. Virgilius in VIII (*Aen.* 8, 560-61):

"O mihi praeteritos referat si Iupiter annos,  
Qualis eram".»

(3) Praeterea Seruius III<sup>o</sup> *Georgicorum* exponit (3, 548): «*Refert*, id est prodest, dicit enim ibi:

"Praeterea iam nec mutari pabula refert"».

Tandem Seruius: «*Refero* in nouo. Virgilius V<sup>o</sup> *Aeneidos* (5, 596-98):

"Hunc morem cursus atque haec certamina primis  
Ascanius Longam muris cum cingeret Albam  
Rettulit",

hoc est innouauit». (4) *Reddo tibi* significat restituere, ut *reddo tibi pecunias*, consignare, ut *reddo tibi litteras, quas Ioannes mihi ad te dedit*, et facere. Tunc duos accusatiuos habet, ut *reddam te doctum*, id est faciam, et ex *re doque* componitur, sed *-d-* geminatur, ut in secunda persona a *redeo, redis* differat, in quo *-d-* interponitur, ut hiatus euitetur, qui *reeo, reeis* esset, id est euphoniae causa, sicut in *redintegro* et *redimo* fit, Nicolao Perotto teste (fol. n2r.), qui in captulo de componendis epistulis, § *Differt ne aliquid, cum dicimus retulit mihi et retulit ad me?*, praepositam confirmat differentiam, ubi uerbi *fero* compositorumque suorum significata dispungit.